


Plato.
Φύσιν ἐπιμελέσθαι βίον ὁ φίλος.
Ios. ad Gen.
θεοῦ μὲν φίλος γίνεσθαι, ἠκούειν δὲ
περὶ διαμένειν. οὐκ ἔστι ἀχρεόν, μὴ
δένα φίλον ἔχειν, καὶ πολλοὺς ἐταίρους
μεταβαλλάπειν.

D. 1. 1. 28. 11. 12

E libris
gymnasio Mauritiano Magdeburgensi
a venerabili
Carolo Funk
theol. doctore et gymnasii directore
a. 1857 hereditate relictis.

A. O. 224.

21



1. Euclidis Elementa.
2. Ambr. Rhodi Optica.
3. Sethi Calvisii Exercitationes
musicae.

W J

Exercitationes Musicae

Duae.

QVAVVM

PRIOR EST, DE

MODIS MUSICIS, QVOS

vulgò Tonos vocant, rectè co-
gnoscendis, & dijudi-
candis.

POSTERIOR, de INITIO

ET PROGRESSV MUSICES,

alijsq; rebus còspectantibus.

Institutae

à

SETHO CALVISIO,


Ludi Senatorij Lipsiensis ad D. Tho-

mann Cantore.



LIPSIÆ, Impensis Iacobi Apelij.

Anno 1600.



Exercitatio prior
DE
MODIS MVSICIS,
QVOS VVLGO TONOS
vocant, rectè cognoscendis
& dijudicandis.

DOCTRINA DE MODIS
Muscis, ab omnibus, qui Musica
student, imprimis est magnifa-
cienda, studiosè inquirenda ac
discenda. Non solum enim iucunda est, sed
etiam omnibus huic arti deditis, ut Melopæis,
Cantoribus, & Concenteribus plurimum con-
ducit. Nam ut pauca saltem attingam, Me-
lopæi ex hac doctrina certò statuerè possunt, non
tantum in qua clave Cantilena qualibet inci-
pienda sit, & finienda: sed etiam ubi Clau-
sula ad affectum textui convenientem elicien-
dum appositæ, sint formanda. Et etiamsi ali-
qui, ab hac doctrina non magnoperè instructi,
sed natura duce ad Musicam exercendam pro-
clives, idem in suis Cantilenis, non sine laude
ostenderunt: tamen quid eiusmodi natura, si
à certiore duce, hoc est, ab arte gubernaretur
A 2 prestare

praestare posset, & in hac, & in alijs artibus
 satis est perspicuum. Cantores verò, qui hac
 doctrina destituuntur, in inchoandis Cantile-
 nis vel à fortuna, vel ab ijs, qui organa tra-
 ctant, pendere coguntur: à fortuna quidem,
 quando subito inchoandum, nec singulis voci-
 bus sonus, quem in incipiendo observent, mon-
 strari poterit. Nisi enim fortè fortuna eam
 clavem, quae eius Modi, quo cantilena decur-
 rit, propria est, tetigerint, non facile alios, in
 alijs vocibus, qui in concentu faciendo sequan-
 tur, habere poterint. Ab Organico vero Musico
 Cantores dependent, quando is ex suo iudicio,
 ut ipsi videtur, decantanda cantilena clavem,
 atq; ita incipiendi sonum ex instrumento suo
 Musico Pneumatico praestit. Quae quidem res,
 etiamsi optimè cadat: tamen Cantorem dubi-
 um & de futura Harmonia incertum relin-
 quit. Et turpe etiam videtur Cantorem ab Or-
 ganico in eiusmodi rebus pendere: Cum con-
 tra, qui de Modis Musicis certus est, Organico
 imperet, & Clavem suae cantilena convenien-
 tem ipse indicet & praescribat, rectius inchoet,
 & de elegantia & artificio cuiusq; cantilena
 dexterius pronunciare possit. Concentores verò
 qui

qui Modos Musicos ignorant, similes esse statuit Pontifex Iohannes vicesimus secundus in suo libello Musico, ebrio cuidam, qui domum pervenit, sed qua calle redeat ignorat. Nec inconvenienter censet. Nam huius doctrine rudes nesciunt in quibus clavibus per clausulas conveniendum, & quasi quiescendum sit, & quomodo tandem per tot ambages ad clavem finalem perveniant. Quae omnia, qui hanc doctrinam callent, summa cum alacritate observant, atq; ob id non solum in decantandis Cantilenis multò maiore voluptate perfunduntur: sed etiam, si fortè canendo aberratum sit, facilius per clausulas illas in viam redeunt. Praeterea concentoribus diligenter est cogitandum, quòd non perpetuo ipsis in hoc statu sit permanendum, sed ad altiores Musicae gradus ascendendum: ut aliquando vel Musici alicuius vel Melopaei vel Cantoris officio, quòd sine cognitione huius doctrinae cum laude fieri nequit, rectè fungi possint.

Quae omnia cum ita se habeant, pauci tamen inveniuntur, qui hanc doctrinam rectè sibi cognitam & perspectam habent, quòd evenit, vel quòd difficilis hac doctrina plerisq; videatur.

deatur, cum tamen paucissimis observationibus
contineatur: vel quod Modi Musici in cantu
figurato plurimum varientur: vel quod non
satis perspicue à Musicis tradantur. De his ne
studiosi Musicæ iure conqueri possint, doctri-
nam de Modis Musicis breviter & perspicue
proponam: Deinde eorundem varietatem in
Musica figurata docebo, & tertio ad quam cla-
vem in organis Musicis pneumaticis quilibet
Modus decantari possit, ostendam.

DE PRIMO.

De Modis Musicis.

Modus
quid?

Modus in Musicis est modulatio
certo ambitu, clausulis, & fine
conclusa, atq; ita qualibet Canti-
lena in Choralis Musica ad certum Modum ca-
nitur, quemadmodum & qualibet vox in figu-
rata Musica suum modum observat. Ambitus
cuiusq; modi in aliqua specie δὲ τὰ αὐτῶν com-
prehenditur, quam tamen interdum non im-
plet, interdum verò excedit. Clausulis tamen
formalibus eam non obscure ostendit. Finis
verò unius cuiusq; modi est Clavis infima eius
speciei

Speciei δία τεύτε, ex qua Modus ille formatur.
 Quae omnia ut certius cognoscantur, de specie-
 bus intervallorum το δία τεσσάρων, το δία
 τεύτε. & το δία τασών, ut & de clausulis
 aliquid est dicendum. De quibus priusquam
 de singulis agamus, in genere sciendum est,
 quod horum intervallorum species numerentur
 ad ordinem vocum Musicalium ex clave C. re-
 gularis systematis: vel ex clave F. transpositi,
 naturali ordine incipientium & progredien-
 tium, distinguanturque ratione dispositionis Se-
 mitonij, quod semitonium regulare suam sedem
 habet inter Mi & Fa, in ceteris enim vocibus
 Musicalibus omnibus, ordine progredientibus
 continetur Tonus.


De intervallo Δία τεσσάρων.

Δία τεσσάρων siue quarta est interval-
 lum, quo comprehenduntur duo δία τεσσ-
 toni, & Semitonium. σάρων,
 Eius species tres quidē
 sunt: Prima, quae canitur ex vocibus Musica-
 libus: Ut, Fa, ubi semitonium habetur supre-
 mo loco, Ut, Re, Mi, Fa.

ut:


A 4

Ee



Et sic in suis octavis.

Secunda species δια τεσσάρων est, que canitur ex vocibus Musicalibus Re, Sol, ubi semitonium habetur medio in loco, Re, Mi, Fa, Sol. *Vt:*



atq; ita in suis octavis.

Tertia species est, que canitur ex vocibus Musicalibus, Mi, La, & semitonium habetur infimo loco, Mi, Fa, Sol, La. *Vt:*




atq; ita in suis octavis,

De intervallo τῷ δια πέντε.

δια πέντε
Quid?


Δια πέντε sive quinta est intervallum, quo continentur tres Toni, & Semitonium. Eius species quatuor sunt. Prima est, que canitur ex vocibus Musicalibus, *Vt, Sol.* Quando semitonium in medio sive dignif-

dignissimo loco collocatur, ubi hoc intervallum
 Harmonica mediatione in Ditonum & semi-
 ditonum dividitur, ut: vt, re, mi, fa, sol.



atq; ita in suis octavis.

Secunda species est, quæ canitur ex voci-
 bus Musicalibus, Re, La, & semitonium ha-
 betur secundo loco, si sursum pergas, Re, mi,
 fa, sol, la. Vt:



atq; ita in suis octavis.

Tertia species est, quæ canitur ex vocibus
 Musicalibus Mi Mi, ubi semitonium in infi-
 mo loco collocatur, Mi, fa, vt, re, mi. Vt:



atq; ita in suis octavis.

Quarta species est, quæ canitur ex voci-
 bus Musicalibus, Fa, Fa, & semitonium ha-
 betur supremo loco, Fa, vt, re, mi, fa.

Vt:

A S atq;



atq; ita in suis octavis.


De intervallo Δ ια $\omega\alpha\sigma\omega\mu$.

Δ ια $\omega\alpha\sigma\omega\mu$ quid? Δ ια $\omega\alpha\sigma\omega\mu$ siue octava est interval-
lum natura primum, & continet
quinq; tonos cum duobus semitonijs,
transitq; per omnes claves, donec ad
eam, ex qua incepit, redeat. *Qualibet
enim clavis repetita efficit Δ ια $\omega\alpha\sigma\omega\mu$. Ra-
tione igitur septem Clavium Musicalium se-
ptem etiam sunt species Δ ια $\omega\alpha\sigma\omega\mu$, & in qua-
libet specie dispositio semitonijs variatur.
Primaeus species est, quae fit in Regulari syste-
mate ex Clave C. usq; in c. in Transposito verò
ex F. usq; in f. Et hanc esse à natura primam
speciem Δ ια $\omega\alpha\sigma\omega\mu$, praeter alias plurimas ra-
tiones, infallibilis mediatio Harmonica in re-
solutione proportionis duplae, qua hoc interval-
lum continetur, demonstrat, quemadmodum
hoc evidenter aliquando probabimus.*

Reliqua verò species Δ ια $\omega\alpha\sigma\omega\mu$ recen-
sentur eo ordine, quo se Claves & voces Musi-
cales

cales consequuntur in utroq; systemate, ut, in Regulari, post clavem C. sequitur ascendendo clavis D. ex ea igitur fit secunda species διαωσώρ, inde clavis E. ex qua tertia species. Postea F. ex qua quarta; ex G. quinta: ex A. sexta: ex B. quadrato septima. In Transposito vero systemate cum ex clave F. prima fiat το διαωσώρ species, secunda fit ex proxima clave ascendente ex G. Tertia ex A. Quarta ex B. rotundo. Quinta ex C. Sexta ex D. Septima ex E. Hoc modo enim claves Transpositi systematis respondent Clavibus in Regulari systemate. Quod ij observent, qui cantum Regularem in Transpositum, & contra Transpositum in Regularem transcribere volunt.

In notulis species διαωσώρ ita scribuntur.



atq; ita in suis octavis.

In


In Transposito systemate hoc
modo :



De Clausulis.


Clausula est modulatio, quæ ad
 quietem aut inclinatur, aut transit,
 ubi pars aliqua textus finitur. *Fitz* in
 principalioribus locis intervalli διατέντε, vi-
 delicet primum & principaliter in eius Clave
 infima, ubi & finis Cantilene constituitur.
 Deinde in suprema, ex qua prior pars Can-
 tilene dependere solet, & in media, ubi
 διατέντε in Ditonum & Semiditonomum di-
 viditur.

Locus Clausularum ex hisce notulis
deprehendi potest.




In prima specie διατέντε, In secunda.

In




In tertia. In quarta.

In Transposito systemate.



In prima specie. In secunda.



In tertia. In quarta.

atq; ita in suis octavis.

Hiscè observatis ad distributionem Modorum accedamus.

*Modi principales Sex sunt: Ionicus, Quot sunt
Dorius, Phrygius, Lydius, Mixolydi- Modi.
us, & Aëolius. Et formantur hoc modo.*

*Ionicus fit ex prima specie τὸ δὲ τῶν τε
& ex prima τὸ δὲ τῶν τεσσάρων; ex Ut Sol per
quintam, & Ut Fa, per quartam.*

*Dorius fit ex secunda specie δὲ τῶν τεσσάρων
& ex secunda τὸ δὲ τῶν τεσσάρων ex Re, La, per
quintam, & Re, Sol, per quartam.*

Phrya

Phrygius fit ex tertia specie το διᾱ πέντε
 & ex tertia το διᾱ τεσσαράκω ex Mi, Mi, per
 quintam, & Mi, La, per quartam.

Lydius fit ex quarta specie το διᾱ πέντε,
 & ex prima τδ̄ διᾱ τεσσαράκω ex Fa, Fa, per
 quintam, & Ut, Fa, per quartam. Prima spe-
 cies διᾱ τεσσαράκω hic repetitur, cum in Modis
 haecenus enumeratis omnes eius species usur-
 pate fuerint. Quae repetitio etiam speciebus
 τδ̄ διᾱ πέντε accidit in sequentibus Modis.

Mixolydius igitur fit ex prima specie
 τδ̄ διᾱ πέντε, & ex secunda τδ̄ διᾱ τεσσαράκω,
 ex, Ut, Sol, per quintam, & Re, Sol, per
 quartam.

Aeolius fit ex secunda specie τδ̄ διᾱ πέν-
 τε, & ex tertia τδ̄ διᾱ τεσσαράκω ex Re, La, per
 quintam, & Mi, la, per quartam.

Hisce sex rationibus species διᾱ πέντε &
 διᾱ τεσσαράκω coniungi possunt, & non alijs
 praeterea, ideo plures etiam regulariter non
 sunt Modi. Quare autem usitatè duodecim
 Modi numerentur, iam docebo.

Quilibet horum principalium Modorum
 duplex habetur, idḡ tantum ratione applica-
 tionis τδ̄ διᾱ τεσσαράκω ad διᾱ πέντε. Διᾱ πέντε
 enim

enim loco non movetur. Sed διὰ τεσσάρων ad
 διὰ πέντε, ut quilibet Modus suum compleat
 ambitum, sive integram octavam, vel superio-
 re loco adiungitur, vel inferiore assumitur.
 Hoc modo fit, ut unus idemq; Modus ratione
 huius diversitatis in applicatione τῆς διὰ
 τεσσάρων ad διὰ πέντε diversa etiam sortiatur
 nomina, ut, Quando διὰ τεσσάρων ad διὰ
 πέντε superiore loco adiungitur, tum modus ille
 vel nomine hoc Principali, videlicet, vel Ioni-
 cus, vel Dorius, vel Phrygius, &c. κατ' ἑξῆς
 appellatur, vel addito vocabulo Contento sive
 Authento describitur. Contra vero quando
 idem διὰ τεσσάρων inferiori loco ad διὰ πέντε
 assumitur, tum Modus vel per particulam
 Hypo ad Principalem Modum addito nomi-
 natur, ut Hypo Ionicus, Hypo Dorius, &c. vel
 assumto vocabulo Remisso vel Plagali designa-
 tur, & conveniunt ambo propter διὰ πέντε
 commune in Clausulis formandis, in speciebus
 vero διὰ τεσσάρων differunt, & illi latiores, hī
 vero remissiores & tristiores Harmonias gi-
 gnunt. Exempli gratia: Quando ad primam
 speciem διὰ πέντε, prima species διὰ τεσσάρων
 superiori loco adiungitur, Modus vocatur vel
 absolute

absolutè Ionicus, vel Ionicus contentus, vel etiam Ionicus Authentus. Contineturq; in prima specie δια πασῶν. Quando verò ad eandem primam speciem τὸ δια πέντε eadem prima species δια τεσσάρων inferiore loco assumitur, sum Modus appellatur Hypo Ionicus, vel Ionicus Remissus, vel etiam Ionicus Plagalis, & continetur in quinta specie δια πασῶν. Et hoc ita universa iter verum est de omnibus Modis. Propter biformentem igitur hanc applicationem τὸ δια τεσσάρων ad δια πέντε quilibet Modus duplex censetur, & in universum sive explicitè rectè duodecim Modi numerantur. Quod ut clarius appareat, quemlibet Modum in utroq; systemate in suis notulis, ad clausulas indicandas disposuis, tam in sonis acutis quam in gravibus prescribam, & exempla perspicua ex Harmonijs Cantionum Ecclesiasticarum in suprema voce, sive in Cantu expressa, subiungam.

De Ionico.

Ionicus Modus, ut diximus, constat ex primis speciebus τὸ δια πέντε & τὸ δια τεσσάρων. Eius prima forma, qua δια τεσσάρων superioris

periori loco ad δία τριέντε additur, dicitur κερ^ο
 Ἐξοχλὺς Modus Ionicus, sive Ionicus contentus,
 sive Ionicus Authentus, contineturq; in prima
 specie δία τριέντε, quam tamen ambitu in su-
 periore loco per tertiam interdum excedit.
 Vulgò vocatur Quintus Tonus. Lascivus
 quidem videtur hic Modus, ac petulans, unde
 Horatius canit:

Motus doceri gaudet Ionicos matura virgo.

Lib. 3o
 Od. 6o

Atq; ideo in saltationibus per totam Europam
 ferè solus regnat. Tuba etiam sive ut vulgo
 vocantur Tarantare ad hunc Modum in-
 flantur, & milites ad praelia fortiter ineunda
 eo accenduntur: attamen & in p̄ys cantioni-
 bus frequens est, & non ineptus ad affectus
 presertim latiores, cum iucunda gravitate ex-
 primendos, ut exempla ostendunt.

In regulari systemate in sonis acutis &
 grauibus, hisce clavibus, clausulis, &
 ambitu continetur.



Exempla in Harmonijs Cantionum Ec-
 clesiasticarum sunt:



Gott der Vater wohn uns bey.
 Herr Jesu Christ wahr Mensch und Gott.
 Vbi tamen finis irregularis est.

In Transposito systemate sic :



Exempla sunt :

Von Himmel hoch da kom ich her.
 Jesaja dem Propheten das geschach.
 Wer nicht mit den Gottlosen geht zu Nacht.
 Ein feste Burg ist unser Gott.
 Wo Gott zum Haus nicht gibt sein gunst.
 Es ist das Heil uns kommen her.
 Vos ad se pueri primis, &c.
 Ein Neues Lied wir heben an. vbi finis variat.

HypoIonicus, sive Ionicus remissus, sive Ionicus plagalis est, qui primam speciem δια τεσσάρων ad primam τὴ δια τέτατα inferiore loco assumit, & ita incidit in quintam speciem δια πέντε, qua in regulari systemate est, ex clave G. in Transposito vero ex C. vulgò vocatur sextus Tonus. Frequentior est suo contento & ad devotionem animi excitandam valde accommodatus.

In


In regulari systemate sic scribitur :



Exemplum in Harmonijs unicum est.

Herrlich lieb hab ich dich O HErr. Quod tamen superiore loco ambitum suum non complet, in inferiore autem excedit.

In Transposito systemate hoc modo :



Exempla multa habentur, & in plarisq; ambitus superiore loco per tonum exceditur.

Ein Kindelein so löblich.

In dulci jubilo.

Kom heiliger Geist/ HErre Gott.

Nun bitten wir den heiligen Geist.

Allein Gott in der Höhe sey ehr.

Dicimus grates tibi summe rerum conditor.

HErr Gott dich loben alle wir.

Hilff Gott wie geht das immer zu.

Es spricht der Bawaisen Mund wol.

In dich hab ich gehoffet HErr.

Nun lob mein Seel den HErrren.

B ij

An

An Wasserflüssen Babylon.
 Nun fremt euch lieben Christen gemein.
 HErr Christ der einig Gottes Sohn.
 Sie ist mir lieb die werde Magd.
 O HErr Gott dein Götlichs Wort.
 Ich danck dir lieber HErr.
 Nun schlaff mein liebes Kindelein.
 Dancket dem HErrn heut vnd allzeit.
 Nun last vns Gott den HErrn.
 Ach wie elend ist vnser zeit.
 Wenn wir in höchsten nöden seyn.
 Wer Gott vertraut / hat wol gebawt.
 Jam mæsta quiesce querela.
 Wenn mein stündlein vorhanden ist.)
 Es ist gewißlich an der zeit.
 O Lamb Gottes vnschuldig / etc.

De Dorio.

Dorius Modus oritur ex secundis specie-
 bus δια τέυτε & δια τεωάρωμ. Eius
 Prima forma, qua secunda species δια τεωάρωμ
 superiore loco secunda τδ δια τέυτε imponitur,
 continetur in secunda specie δια τασώμ, que
 est in Regulari systemate ex clave D. In
 Transposito autem ex clave G. ambitum inter-
 dum per semiditonū supremo loco transcende-
 re solet.

re solet. Et vocatur vel *Modus Dorius absolute*, vel *Dorius Contentus*, vel etiam *Dorius Authentus*. Vulgò verò *primus Tonus*.

In regulari systemate hisce clavibus,
clausulis & ambitu continetur.



Exempla sunt:

Mit fried vnd frewd ich fahr dahin.

Christ lag in Todes Banden.

Christ ist erstanden.

Quam læta perfert nuncia.

Wir glauben all an einen Gott.

Vater vnser im Himmelreich.

Christ vnser HErr zum Jordan kam. Vbi finis

Wer in des Allerhöchsten hut. (variat.)

Ich ruff zu dir HErr Jesu Christ.

Durch Adams fall ist gang verderbt. Vbi iei-
dem finis variat.

O HErr Gott in meiner noth.

Hats Gott versehn/ wer wil es wehen.

Veni sancte Spiritus.

In Transposito systemate hoc modo:



Exempla sunt:

Vita sanctorum, decus Angelorum.
 Erstanden ist der heilige Christ.
 Jesus Christus unser Heyland / de Cœna Dni.
 Erhalt vns HErr bey deinem Wort.
 Christ der du bist der helle tag.
 Singen wir aus herzen grund.
 Gleich wie ein Weizenkörnelein,
 Es wird schier der letzte tag herkommen.
 Victimæ Paschali laudes.

*In hac Cantilena connectitur Dorius cum
 Hypo Dorio, Quidam enim versus ad Dorium
 contentum canuntur, ut:*

Agnus redemit oves.

Credendum est magis. Et alij.

Quidam ad Hypodorium, ut:

Dic nobis Maria. Item, Angelicos testes.

*Hypo Dorius sive Dorius remissus vel Pla-
 galis est, qui secundam speciem δια τεσάρων
 inferiore loco, ad secundam speciem δια πέντε
 assumit, & ita incidit in sextam speciem
 δια πέντε, quæ in regulari systemate est ex
 clave A. in transposito verò ex clave D. Vul-
 gò vocatur secundus Tonus.*


In notulis Regularis systematis sic
 scribitur:

Exem.



Exemplum in Harmonijs Cantionum Ecclesiasticarum nullum est, nisi quis illarum Cantilenarum, quae ad Dorium regularem referuntur, Altum vel Bassum huc traducere vellet, infra etiam quaedam annotabimus in figuratis cantilenis.

In Transposito systemate sic scribitur:



Exempla sunt:

Nun kom der Heyden Heyland.

Helft mir Gottes Güte preysen.

Puer natus in Bethlehem.

Surrexit Christus hodie. In quibus tamen omnibus $\delta\iota\alpha\ \tau\epsilon\omega\varsigma\acute{\alpha}\rho\omega\pi$ inferiore loco non satis exprimitur.

Christe der du bist tag vnd liecht.

Kompt her zu mir/ sprich Gottes Sohn.

Was mein Gott wil.

Von Gott wil ich nicht lassen.

Hilff Gott das mir gelinge.

B 4

De


De Phrygio.

Phrygius modus oritur ex tertijs speciebus
 διὰ πέντε & διὰ τεσσάρων. Bellicosum &
 ad tumultus concitandos aptum hunc Modum
 veteres statuerunt. Verum cum nullus sit mo-
 dus, qui non ad quemvis affectum exprimen-
 dum adduci possit, modò accedat peritus arti-
 fex, ita hic Modus hodie plerunq; ita flecti
 solet, ut commiserationem excitet, & religio-
 ne quadam animum imbuat, unde & apud
 Apuleium religiosi nomen accepit. Quod ad
 clausulas attinet. Cum tertia species intervallo
 διὰ πέντε in suprema notula vix recipiat clau-
 sulas. Hic modus etiam ommissa ferè hac clave
 suas clausulas in alias transtulit. Præcipuè in
 clavem A. & C. regularis systematis. Trans-
 positi verò in clavem D. & F. quanquam &
 in alijs clavibus clausulas efformet, ut ita hic
 modus minimè omnium sibi constet, & nullibi
 certius, quam ex fine cognoscatur.

Prima eius forma, qua διὰ τεσσάρων su-
 periores locum occupat, incidit in tertiam
 speciem διὰ πέντε, qua in Regulari systemate
 est ex clave E. in Transposito verò ex clave A.
 vocatur.

vocaturq; vel absolutè Phrygius, vel Phrygius contentus, sive Authentus. Vulgò tertius Tonus. Extra ambitum quando evagatur, superiori loco semitonium, inferiore verò Tonum vel Ditonum etiam assumere solet.

In regulari systemate ambitu & clavis, hoc modo scribitur:



Exempla sunt:

A Solis ortus cardine.
 Christus der uns selig mache.
 Da Jesus an dem Creuse stund.
 Mensch wiltu leben seliglich.
 Aus tieffer noth schrey ich zu dir.
 Mag ich unglueck nicht widerstahn.

In Transposito systemate hoc modo:



Exempla in Harmonijs Cantionum Ecclesiasticarum non habentur.

Alicra forma Phrygy, qua δὲ τεσσάρων
 B S *tertie*

tertia speciei inferiore loco ad δια τευτε, assumitur, vocatur Hypophrygius, vel Phrygius Remissus, sive Plagalis. Vulgo quartus Tonus, & incidit in septimam speciem δια πασων, qua in regulari systemate est ex A quadrato, in transposito vero ex E.

Parum differre videtur à Prima sua forma, ambitum enim suum superiore loco fere semitono, vel etiam semiditono transcendit. Inferiore vero, vel omisso semitono non attingit, atq; ita in tonici modi ambitum incidit, à quo tamen phrasi & clausulis facile discernitur: Vel si attingat, assumpto adhuc tono transcendit, ut in exemplis apparet.

In regulari systemate Clausulis suis sic scribitur:



Exempla sunt.

Herr Gott dich loben wir,
 Erbarm dich mein O Herr Gott,
 Die Welt ist nichts zu unser zeit,
 Witten wir im leben sind,
 Also heilig ist der Tag.

In

In systemate Transposito hoc
modo :



Exemplum unicum in Harmonijs habetur.

Dun last vns den Leib begraben,

De Lydio.

Lydus Modus veteribus vsitatissimus fuit, ut ex Cantionibus vetustioribus, quas Graduales vocant, satis liquet. Verum tetricus videtur Modus, propter Tritonum, qui duriusculè auribus accidit, & vix vitari potest, ideo hodie utrobique, & in Choralì & figurali Cantu rarissimè usurpatur. Oritur ex quarta specie διὰ πέντε & ex prima τὸ διὰ τεσσαράσων.

Prima eius forma, qua prima species διὰ τεσσαράσων quartæ speciei διὰ πέντε imponitur, incidit in quartam speciem διὰ τεσσάρων, qua in regulari systemate formatur in clave F. in Transposito verò in clave B. & appellatur vel Lydius absolutè vel Lydius contentus, sive Authentus.

Et

Et in systemate regulari sic scribitur :



In Transposito hoc modo :




Exempla in Harmonijs nulla habentur.

Altera eius forma qua prima species δια τρεῶν quarta το δια πέντε subiungitur, incidit in primam speciem δια τρεῶν, qua in regulari systemate est ex clave C. in Transposito verò ex clave F. & appellatur Modus HypoLydius, vel Lydius remissus, aut Plagalis.

In regulari systemate hisce notulis
& clausulis scribitur :



In Transposito hoc modo :



*Exemplum unicum in Harmonijs habetur,
Ex legis observantia.*

Ex

Et si autem hodie rara Modi huius exempla occurrunt: tamen non penitus ab Ecclesia exsulat. Verba enim Cæne Dominica ad hunc Modum prælegi solent, quemadmodum & historia passionis Dominica Germanica. Quæ enim personam Evangelista sustinet, in clausulis formandis quartam speciem δία τέυτε, de qua hic agitur, observat. Cui, qui Petri, Cai-pha, Pilati & aliorum verba decantat, primam speciem τὸ δία τεσάρεω superaddit, atque hi ambo Lydium contentum complent.

Qui verò verba Salvatoris Christi præfert, is illa modulatur in eadem prima specie δία τεσάρεω, sed per octavam depressa, atque ita, si cum Evangelista coniungatur, HypoLydium exprimit.

In quibusdam Ecclesijs etiam usitatum est, ut textus aliquis Biblicus ex Prophetis vel Evangelistis aut Epistolis Apostolicis desumptus in latina lingua ad hunc Modum prælegatur, id, quibus clausulis fieri debeat, tribus hisce regulis docetur:


Prima. Lectio tota incipit, progreditur, & finitur in suprema clave huius quartæ speciei δία τέυτε, ambitumque eius non transcendit.

*dit, nisi quod clausula finalis ultra ambitum
ad tertiam elevatur hoc modo:*



Ubi Iohannes baptifabat.

Secunda. Clausula huius lectionis vel
manent in unisono, vel per intervalla descen-
dunt. Commata enim breviora distinctè tan-
tum in unisono pronunciantur: longiora verò
Commata & Cola per tertiam, & puncta per
quintam deprimuntur. Depressio autem illa
intelligitur tantum de ultima syllaba, nisi ac-
cidat in dictione polysyllabica penultima bre-
vi, illa enim simul cum ultima deprimenda
est, hoc modo:




Dirigite viam Domini: sicut dixit Esaias Propheta.

Tertia. Interrogationes, monosyllabicae
item dictiones, & peregrina vocabula, quae la-
tinorum more non declinantur, si in colis aut
commatis occurrant, hanc lectionem variant.
Interrogationes enim tertiam syllabam ante
distinctionem, interdum etiam quartam, s
accen.

accentus Grammaticus hoc requirat, aut etiam
secundam, in brevioribus interrogationibus per
tertiam deprimunt, & inde rursus per gra-
dum proximum ascendentem sequentem syl-
labam elevant, & ultimam huic in unisono
coniunctam deinceps ulterius tractu syllaba,
per semitonium intendunt, hoc modo:



Helias es tu? ut respondeamus, qui miserunt nos?




Quis es tu?

Monosyllabicae verò dictiones, pe-
regrina item vocabula, ab hac clausula non
magnoperè discrepant: nisi quod tertia ante
finem syllaba, non per tertiam saltu deprimi-
tur, sed per gradum deflectitur, quam sequi-
tur penultima adhuc per gradum descendens.
Ultima verò ascendit rursus vel per gradum
in commatis brevioribus, vel per tertiam in
longioribus & in colis, hoc modo:



Sed in medio vestrum stat, què vos nescitis, ipse est,
qui



qui post me veniet, antecessit me.

Et sic in peregrino vocabulo.



neq; Elias, Hac facta sunt in bethabara,

atq; hac de Lydio Modo.

De MixoLydio.

Mixolydius Modus, primam speciem intervalli τοῦ διατέντε, cum Ionico communem habet, eamq; hic repetit, sed coniungit eam cum secunda specie διατεσάσωρ, eaq; de causa speciebus διατεσάσωρ ab Ionico diversus est. Prima enim eius forma qua secunda species διατεσάσωρ prima τοῦ διατέντε superimponitur, incidit in quintam speciem διατεσάσωρ, que ex clave G fit Regularis systematis, ex clave C verò Transpositi, & vocatur vel Mixolydius absolutè, vel Mixolydius contentus, sive authentus. Vulgo verò Tonus septimus.

La

In regulari systemate sic scribitur:



Eius Exemplum in Harmonijs Cantionum Ecclesiasticarum nullum est.

In transposito systemate hoc modo:



Exemplum in Harmonijs unicum est.


Rex Christe factor omnium. Quod tamen fine variat.

Altera eius forma, qua eadem secunda species δια τεσσάρων ad primam τε δια πέντε inferiore loco assumitur, incidit in secundam speciem δια τασών, quæ in Regulari systemate est ex clave D. in Transposito verò ex clave G. & vocatur HypoMixolydius, vel Mixolydius Remissus sive Plagalus. Vulgò Tonus octavus. Frequenter hic miscere solet clausulam principalem Ionici, quemadmodum & suis contentus Mixolydius interdum.

In regulari systemate in notulis & Clausulis sic scribitur:

C

Exem-



Exempla in Harmonijs Cantionum Ecclesiasticarum sunt :

Gelobet seystu Jesu Christ.


Doncksagen wir alle.

Festum nunc celebre, magnaq; gaudia.

Diß sind die heiligen zehen Gebot.

Gott sey gelobet vnd gebenedeyet.

In Transposito systemate hoc modo :



Exempla in Harmonijs nulla habentur.

De Æolio Modo.

Æolius Modus secundã speciem δια δέντε cum tertia τδ δια τεσάγων coniungit; eius prima forma, qua δια τεσάγων superiore loco pñitur, incidit in sextam speciem δια αασών, qua in Regulari systemate est ex clave A. in Transposito verò ex clave D. vocaturq; vel Æolius absolutè, vel Æolius Contentus, sive Authentus. Vulgo Peregrinus Tonus, qua
appella-


appellatio ipsi contigisse videtur ex versu nono
 Psalmi sexagesimi primi: Extraneus factus
 sum fratribus meis, & filiis matris meae
 peregrinus. In vulgaribus enim Musicis li-
 bellis h'c versus intonationi huius Modi olim
 subscribi, & exempli loco proponi solutus fuit.

In systemate regulari hoc modo
 scribitur:



Exemplum eius unicum est in Harmonijs.
 Gib vnserm Fürsten vnd aller Dbrigkeit.

In Transposito systemate hoc
 modo:



Exempla sunt:

Spiritus sancti gratia.

Meine Seel erhebt den HErrn.

Ich danck dem HErrn von ganzem hertzen.

Es wolt vns Gott gnedig seyn.

Altera forma AEolij, qua eadem tertia
 species δια τεσσάρων, secunda τδ δια πέντε
 C 2 inferio-

inferiore loco subijcitur, comprehenditur in
 tertia specie δια τασωρ, qua in Regulari sy-
 stemate est ex clave E. in Transposito vero ex
 clave A. & appellatur vel Hypo AEolius, vel
 AEolius Remissus, sive Plagalis.

In regulari systemate sic scribitur:



Exempla sunt:

Allein zu dir Herr Jesu Christ.
 Wer Gott nicht mit uns diese zeit.
 Wo Gott der Herr nicht bey uns helt.
 Vater unser/ der du bist/ Kyrie eleison.

In Transposito systemate hoc
 modo:



Exempla in Harmonijs nulla sunt.

Hac est doctrina duodecim Modorum, sci-
 tu ut iucunda & necessaria, ita facilima, usus
 vero longe celeberrima & fructu copiosissima.

Quod ad usitatos octo Modos attinet, qui
 vulgo octo toni, sive tropi & differentia no-

menata

ominantur, & ad fines Antiphonarum ascribuntur, sunt illi tantum clausulae, quibus Psalmi decantantur, nec Modorum essentiam rectè vel indicant vel explicant, praecipuè illa clausula, quae Contentos Modos delineare debent. Praeterquam enim quòd ferè nec in propria clave ordiantur, in impropria praeterea semper finiuntur. Cognitio tamen earum necessaria est ijs, qui in decantandis Psalmis occupantur, & scientia eorundem ex vulgaribus Musicis libellis facile acquiri poterit. Igitur de illis dicere hoc loco supersedebimus, & de variatione duodecim Modorum in figurato cantu aliquid monebimus.

DE SECVNDO.

De variatione Modorum in cantu figurato.

His quae dicta sunt, cognitio cuiuslibet Modi in cantilenis facilis est. Finis enim eius ostendit ultimam clavem $\tau\theta\ \delta\iota\alpha\ \omega\epsilon\upsilon\tau\epsilon$ atque ita certam etiam eius speciem, quae applicata ad illam ipsam Cantilenam,

tenam, certam etiam speciem τὸ δὲ τὸ ἀπὸ τῆς ἀρχῆς
 atq; eius situm, an videlicet superiore vel in-
 feriore loco collocata sit, indicat unde certissi-
 mum de Modo iudicium fieri potest. Etsi au-
 tem quaedam cantilena irregulariter finiuntur:
 tamen id raro fit, & reliqua eius clausula, atq;
 ambitus facile eius verum & regularem fi-
 nem ostendunt, ut in exemplis apparet. Sunt
 praeterea quaedam Cantilena, quae Modum
 suum certis clausulis, in quadam sui parte de-
 monstrant, ut sunt Responsoria, Introitus &
 Antiphona. Responsoria enim & Introitus
 Modum in versibus ostendunt. Antiphona ve-
 rò eum in fine ascriptum habent subiunctis li-
 teris, E, u, o, u, a, e, quae seculorum Amen
 denotant. Quamquam autem & versus, &
 tropi illi Antiphonarum, quibus E, u, o, u, a, e,
 subscribitur, Modos, ut dictum est, non satis
 exprimunt, tamen, quoniam vulgò ita agno-
 scuntur, cognitionem Modi, qui aliàs etiam
 in Introitibus, Responsorijs & Antiphonis satis
 exprimitur, faciliorem reddunt.

In figurali etiam Musica cognitio Modo-
 rum eadem est. Ex fine enim Cantilena certa
 species δὲ τῆς ἀρχῆς, & ex applicatione τῶν δὲ τῆς ἀρχῆς
 τῶν ἀρχῆς

ὡς τε ad Cantilenam certa species & situs et-
 iam τῆ δία τεος ἄγωρ in qualibet voce cogno-
 scitur, tantum hoc de fine observandum, quod
 non promiscuè, in omnibus vocibus, ex ultima
 notula finis iudicandus sit, sed tantum ex ea,
 qua omnium infima est. Hac enim præ reli-
 quis veram clavem finalem semper observat,
 cum reliquarum omnium sit fundamentum.
 Ex hac igitur clavis finalis desumpta, & ad
 δία πασῶν, vel etiam δία δία πασῶν, si opus
 fuerit, elevata, vocibusq; reliquis applicata,
 facile ubivis veram clavem finalem cuiusvis
 vocis, in eacantilena ostendit, unde & de Mo-
 do & de certa etiam eius forma rectè pronun-
 ciari poterit. Ambae enim formae alicuius Mo-
 di in cantu figurato in una eademq; Cantilena,
 sed in diversis vocibus, semper coniungi solent,
 præterquam in bicinijs quibusdam, vel etiam
 tricinijs, ubi duæ, vel ternæ voces, in eodem
 ambitu, in sonis æquabilibus, aut etiam in sonis
 per δία πασῶν disunctis progrediuntur, quæ
 unicam tantum formam alicuius Modi ob-
 servant.

In reliquis Cantilenis, ubi ambæ formae
 alicuius Modi coniunguntur, voces ita connecti

C 4 solent,

solent, ut quævis cum sibi proxima, idem vel
 δια τεσσάρων vel δια πέντε habeat, ita ut cum
 singula quidem voces suo ambitu δια πασῶν
 complectantur: duæ tamen simul sunt & inter-
 vallum δια πασῶν tantum per δια τεσσάρων
 vel δια πέντε excedant. Tres verò voces tan-
 tum dis δια πασῶν impleant.

Denominatio verò Modi sumitur à media
 voce, à Tenore videlicet. Et si is contenti ali-
 cuius sit modi, videlicet exempli gratia Ioni-
 ci, tum de toto illius Cantilene systemate pro-
 nunciatur, quod ad Ionicum Modum decurrat,
 etiamsi quedam voces inter reliquas HypoIo-
 nicum observent. Et contra: Si Tenor alicuius
 Cantilene ad Remissum aliquem Modum de-
 currat, exempli gratia, ad HypoIonicum, de
 tota Cantilena pronunciat, quod sit HypoIo-
 nici Modi, etiamsi quedam voces ad Ionicum
 canantur. Et hæc regula universaliter de omni-
 bus Cantilenis figuratis observatur.

Sunt autem figuratæ Cantilene, si quis eas
 distinguere & in certas quasi classes redigere
 velit, in quadruplici ferè differentia. Qua-
 dam enim dicuntur cantari ad AEquales, non
 quidem, quod equali sonorum intensione omnes
 voces

voces progrediantur, sed quod consonantias viciniore habent. Harum cantilenarum systema, sive totum Harmonia corpus in $\delta\iota\epsilon\ \delta\iota\alpha\ \omega\alpha\sigma\omega\mu$ ferè consistit. Et si exteriores voces Contentum aliquem Modum observent, media Remissum eius nominis Modum cantabunt. Et contra: Si exteriores Remissum cantent, media Contentum habebunt. Exempla ubiq; multa occurrunt. Præcipuè tamen apud Iacobum Handeliu.

Quædam suo systematis ambitu $\delta\iota\epsilon\ \delta\iota\alpha\ \omega\alpha\sigma\omega\mu$, vel per $\delta\iota\alpha\ \tau\epsilon\omega\acute{\alpha}\rho\omega\mu$, vel per $\delta\iota\alpha\ \omega\acute{\epsilon}\nu\tau\epsilon$ excedunt. Quod autem non semper æquale ad $\delta\iota\epsilon\ \delta\iota\alpha\ \omega\alpha\sigma\omega\mu$ intervallum, in constituendo Harmonico systemate assumitur, in causa est diversa Modorum forma. Cantilene enim, quarum Tenor Contentum aliquem Modum observat, assumunt in infima voce in Basso videlicet tantum $\delta\iota\alpha\ \tau\epsilon\omega\acute{\alpha}\rho\omega\mu$, atq; ita $\delta\iota\epsilon\ \delta\iota\alpha\ \omega\alpha\sigma\omega\mu$ in integro Harmonia systemate tantu per $\delta\iota\alpha\ \tau\epsilon\omega\acute{\alpha}\rho\omega\mu$ exceditur. Quarum vero Tenor in Remisso aliquo Modo progreditur, earum systema $\delta\iota\alpha\ \omega\acute{\epsilon}\nu\tau\epsilon$ ultra $\delta\iota\epsilon\ \delta\iota\alpha\ \omega\alpha\sigma\omega\mu$ implet. Tanto enim intervallo Bassus in hisce Cantilenis quam Tenor profundior est. In hisce

Cantilenis Modus ita distribuitur, ut si Tenor cum Discanto Contenti alicuius sit Modi, Bassus & Alius Remissum eius observent, & contra. Atq; hac est secunda Classis figuratarum Cantilenarum.

Ad tertiam classem referri possunt Cantilena, quae suo Harmoniae systemate integrum $\tau\eta\epsilon\ \delta\iota\alpha\ \omega\alpha\sigma\omega\mu$ complectuntur. Faciunt haec si plures voces coniungantur, & omnia eius loca rectè consonantibus expleantur, plenam, perfectam & intumescentem quasi Harmoniae constitutionem. Verùm cum ad diversos choros plerumq; huiusmodi Cantilena canantur, & singuli chori nimium vel in acutioribus, vel contrario modo in profundioribus sonis progrediantur, fit, si separatim chori audiuntur, ut ex paucioribus hisce vocibus Harmonia excellentior oriatur, nisi instrumentis Musicis utrobique sedulo adiuventur. Ad unam Modi alicuius formam huiusmodi Cantilena referri non possunt, propter diversos Tenores, quorum alter Contentum aliquem Modum, alter verò Remissum observat. Rectius itaq; ad ambas formas alicuius modi, sive ut aliàs loquimur, ad connexum aliquem Modum, quod Contentus

cum suo Remisso connectatur, vel etiam ad principalem aliquem Modum referuntur. Exempla ubiq; habentur, ut apud Orlandum.

In convertendo Dominus captivitatē. ab 8.
 Quod ad Dorianum connexum decurrit. Item:
 Tristis est anima mea.
 quod ad Ionicum. Et alia.

Sunt qui quarto loco Cantilenas instituunt, quarum systema ultra τρις διᾱ πασών, διᾱ τεσάρων vel διᾱ πέντε complectatur, verum huiusmodi constitutio & propter acutissimos sonos summa vi expressos, & propter gravissimos susurrorum bombos omnem ferē gratiam amittit, & rarissimē usurpatur, nisi plurimis consonantijs ubiq; expleatur, & exquisitissimis Musicorum instrumentis adiuvetur, quæ cum ubiq; haberi non possint, huiusmodi cantilena, inter eas, quæ voce humana canuntur, recenseri vix possunt. Exempla tamen inveniuntur, ut Cantilena prima continuationum Lindneri quæ est:

Angelus ad Pastores ait.

Item in Melodijs sacris Norinbergicis.

Laudate Dominum. ab 8. Claudij Meruli.

Confiteantur tibi populi Deus. ab 8. Claudij
 Meruli. Gaude

Gaude Maria virgo. à 10. Claudij Meruli.

Benedicam Domino in omne tempore. à 10.

Iohannis Gabrielis.

Omnes gentes plaudite manibus. à 16, Iohan.
Gabriel.

*Etsi ex his, que de variatione Modorum
in figurata Musica dicta sunt, & ex exemplis
ad quemq; Modum, ex Harmonijs Cantionum
Ecclesiasticarum additis, Modus quilibet faci-
le agnosci potest; tamen ne forte quid deside-
rari possit, exempla ex probatis autoribus de-
sumta maximè illustria, & ubivis obvia ad
singulos Modos ascribamus, ut discentes habe-
ant, quo Modorum naturam rectius introspi-
cere & contemplari possint.*

Exempla Ionici Modi.

*Et Ionicus quidem specialiter sic dictus,
sive Ionicus contentus in suo systemate regulari
rarius usurpatur, idq; ut videtur, præter cau-
sam, cum claves ordinarias nullibi, vel acu-
mine vel profunditate excedat, habentur ta-
men aliqua exempla. Ut:*

Cum intrasset Iesus. à 5. Iacobi de VVert.

Item. O magnum mysterium. ab 8. ad æquales.

Omnes

Omnes gentes plaudite manibus. ab 8.
Ego sum panis vivus. à 6. Jacobi Handelij.

Sic classica cantica pleraq; ad hunc modum canuntur. Ut Vngaricum hoc:

Magnanimi Heroës. à 6.
Heroes pugnate viri. à 4. Jacobi Handel.

In transposito systemate frequentior est, ut apud Orlandum.

Congratulamini mihi omnes. à 6.
Decantabat populus Israel. à 7.
Legem pone mihi. à 5.
Exultet cœlum. à 5.
Dum complerentur dies Pentecostes. à 6. Io. han. de Palestrina.

Sic apud Iacobum de Wert.

Speremus meliora omnes. à 5.
Omnis homo primum bonum vinum. à 5.
Intravit Iesus in quoddam castellum. à 5.

Sic in continuationibus Lindneri.

Quæramus cum pastoribus. ab 8.
In illo tempore exurgens Maria. à 5.
Puer qui natus est nobis. à 6.
Inter natos mulierum. à 5.
Sic: Super flumina Babylonis. à 4. Jac. Handl.
& alia multa

Hypo.

Hypotonicus, sive Ionicus remissus non minus frequens est, tam in regulari quam in transposito systemate.

In regulari quidem systemate apud Orlandum.

In te Domine speravi. à 6.

Surrexit Pastor bonus. à 5.

Quem vidistis Pastores. à 5.

Hodie completi sunt dies Pentecostes. à 6.

Apud Iacobum VVert.

Nolite esse prudentes. à 5.

Providebam Dominum. à 5.

Deus Iudex iustus. à 5.

In continuationibus Lindneri.

Tulerunt Dominum. ab 8.

Sancta Trinitas. à 6.

In Corollario Lindneri.

Surrexit Pastor bonus. à 6.

Angelus Domini descendit de cælo. à 6.

Ascendo ad Patrem meum. à 5.

Tu es Petrus, & super hanc Petram. à 7.

Canite tuba in Sion. à 5.

Ascendit Deus in iubilatione. à 6. Albini Fabricij.

In Transposito systemate, ut apud Orlandum.

Tempus

Tempus est ut revertar. à 6.

Fremuit spiritu Iesus. à 6.

Estote ergo misericordes. à 7.

Levavi oculos meos ad montes. ab 8.

Sidus ex claro veniens Olympo. à 5.

Resonet in laudibus. à 5. & alia natalitiâ
cantica plæraq;

Ascendente Iesu in naviculam. à 6. Iacobi
VVert.

Cantate Domino canticum novum. à 6. Et

Hodie Christus natus est. à 6. Albini Fabricij.

In Corollario Lindneri.

In illo tempore, postquã consummati sunt. à 7.

O crux splendidior cunctis astris. ab 8.

Tulerunt Dominum. à 6. & à 5.

Virtute magna reddebant Apostoli. à 6.

Gaudent in cœlis. à 6. &c. Et alia.

*Tertia etiam classis Cantiones ad hunc mo-
dum instituta, ubi Ionicus cum Hypo Ionico
connectitur, & Harmonia integrum τριεδικ
πασσων suo systemate complet vel etiam supe-
rat, multa reperiuntur, ut in Regulari syste-
mate.*

Benedicam Domino in omni tempore. à 10.
in Melodis sacris.

In Trans-

In Transposito systemate apud Orlandum.

Beatus qui intelligit super egenum. à 6.

Tristis est anima mea. à 5.

Deus misereatur nostri. à 12. Andreae Gabriel.

Sic apud Jacobum Handelum.

Laudate Dominum. à 16.

Cantate Domino. à 12.

Laudate Dominum. à 10.

Impetum inimicorum. à 12.

Tribus miraculis ornatum diem. à 12.

Exempla Dorij.

Dorij etiam specialiter sic dicti, sive Dorij Contenti exempla multa inveniuntur. Et quidem in systemate Regulari, apud Orlandum.

Quare tristis es anima mea. à 6.

De ore Prudentis procedit mel. à 5.

Quid prodest stulto habere divitias. à 5.

Animam meam dilectam. à 5.

Non auferetur sceptrum. à 6. Jacobi Meilandi.

In continuationibus Lindneri.

Surrexit Pastor bonus. à 6.

Eructavit cor meum verbum bonum. à 6.

Isti qui amicti sunt stolis albis. à 6.

Sic in

Sic in Corollario.

Victimæ paschali laudes. ab 8.
 Regna terræ cantate Deo. à 2.
 Egredimini & videte. ab 8. &c.

*In systemate Transposito. Vt itidem
 apud Orlandum.*

Confitemini Domino. à 5.
 Omnia quæ fecisti nobis Domine. à 5.
 Videntes stellam Magi. à 5.
 Emendemus in melius. à 5.
 Pater Abraham. à 5.
 Transeunte Domino. à 5. Iacobi de VVer-

In continuationibus Lindneri.

Expurgate vetus fermentum. ab 8.
 Veni sancte Spiritus. ab 8.

In Corollario Lindneri.

Pueri Hebræorum. à 5.
 Angelus Domini descendit de cælo. à 5.
 Veni sancte Spiritus. ab 8.
 Veni Domine & noli tardare. à 6.

In Melodys sacris Norinbergicis.

Cantate Domino canticum novum. à 4.
 Decantabat populus Israel. à 6.
 Duo Seraphin clamabant. ab 8.
 Veni in hortum meum ab 8.
 Iubilare Deo. ab 8.

D

Sic &

Sic & Dorij Remissi sive Hypodorij exempla multa inveniuntur, varia quidem in regulari systemate, longè verò frequentiora in transposito. Exempla Hypodorij in regulari systemate sunt apud Orlandum.

Surge propera amica mea. à 6.

Concupiscendo concupivit anima mea. à 6.

Alleluia vox læta personet. à 5.

Beatus ille qui procul negocijs. à 5.

Elizabeth Zachariæ. à 6. Jacobi Handelij.

Vespere autem Sabbathi. Vincentij Ruffi in continuationibus.

Nunc dimittis servum tuum. à 8. &

Surge illuminare. à 8. In Corollario Lind.

Misericordias Domini. à 4. In Melodijs sacr.

In Transposito systemate itidem apud Orlandum.

Iesu nostra redemptio. à 6.

In principio erat verbum. à 6.

Domine deduc me. à 6.

Dixit Ioseph undecim fratribus. à 6.

Laudate pueri Dominum. à 7.

Confitebor tibi Domine. à 8.

Veni in hortum meum. à 5.

Angelus ad pastores ait. à 5.

Tædet animam vitæ meæ. à 5.

Ego sum qui sum. à 6.

Iam

Iam non dicam. à 8. Dominici Phinot.
 Præter rerum seriem. à 6. Iosquini de Pres.
 Quiescat vox tua à ploratu. à 6. Iac. de VVert.
 Deus Canticū novum cantabo tibi. à 6. item:
 Non vos relinquam orphanos. à 6. &
 Quare tristis es anima mea. à 6. Albini Fabric.

In continuationibus Lindneri.

Quem vidistis pastores dicite. à 8.
 O magnum mysterium. à 8.
 Iam de somno in quo tam diu. à 8.

In Corollario.

Beata viscera Mariæ virginis. à 8.
 O admirabile commercium. à 6.
 Omnes de Saba veniunt. à 8.
 Hæc est dies. à 8.
 Gloria patri qui creavit nos. à 8.
 Hi sunt qui venerunt. à 8. &c. Et alia multa.

*In systemate Harmoniæ perfectō, quod
 ambitu suo τρις δια τασ ωρ complectitur aut
 etiam excedit, ubi Dorius cum Hypodorio con-
 necitur, exempla similiter habentur, tam in
 Regulari quam in Transposito systemate.*

In Regulari quidem.

Adjuro vos filiæ Ierusalem. à 12. &
 Dominus Iesus in qua nocte. à 8. Iac. Handelij.
Item in Melodijs sacris.

D 2

Laudate

Laudate Dominum. à 8. Claudij Meruli.

Confiteantur tibi populi Deus. à 8.

Omnes gentes plaudite manibus. à 16. Iohani.
Gabrielis.

In Transposito vero, ut apud Orlandum.

In convertendo Dominus. à 8.

Domine Dominus noster. à 6.

Verbum caro factum est. à 10. Iac. Handel. &

Exultate Deo adiutori nostro. à 8.

In continuationibus Lindneri.

Congratulamini mihi omnes. à 8.

Laudate Dominum. à 10.

Exurgat Deus & dissipentur. à 8.

Benedicam Dominum. à 12.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. à 12.

In Melodijs sacris Norinbergicis.

In tribulatione mea. à 8.

Deus noster refugium & virtus. à 8.

Domine Dominus noster. à 8.

Diligam te Domine. à 8. &c.

Exempla Phrygij Modi.

*Phrygius ab Hypophrygio, ut supra dixi-
mus, non magnopere differt. Clausulis enim
ut reliqui eiusdem nominis Modi, conveniunt,
ambitu*

ambitu parum discrepant, nisi quod Phrygius paulo acutiores sonos amat, Hypophrygius verò remissiores, quamvis & hic interdum assurgat.

Phrygi in regulari systemate exempla sunt apud Orlandum.

Dominus mihi adiutor. à 6.
 Locutus sum in lingua mea. à 6.
 Deus misereatur nostri. à 8.
 Missus est angelus Gabriel. à 5.
 Fili, quid fecisti nobis sic. à 5.
 Quam benignus es ô Domine. à 5.
 In me transierunt. à 5.
 Credidi propter quod locutus sum. à 5.
 Stabunt iusti. à 5.
 Cum invocarem. à 6.
 Tanquam ovis ad occisionem. à 6. Iacobi de
 VVerę.

Sic in Corollario Lindneri.

Senex puerum portabat. à 5.
 Christus verè languores nostros tulit. à 5.
 Tulerunt Dominum meum. à 8.

In Melodys sacris Norinbergicis.

O Iesu Christe miserere mei. à 5.
 In lectulo meo. à 5.
 Misericordias Domini. à 8. &c.

In Transposito systemate exempla non habentur. Nam si quæ Cantilena in clave A. Transpositi systematis finiuntur, ea potius ad HypoPhrygium referuntur. Cum Transpositio illa ex clave E. in acutiorem clavem A. propter graviores sonos, scalam ferè ambitu suo excedentes facta videatur. Exempla igitur Hypophrygijs ascribamus, quorum tamen pauca inveniuntur, ut in Regulari systemate apud Orlandum.

Infelix ego omnium auxilio destitutus. à 6.

In monte oliveti oravi Patrem. à 6.

In omnibus requiem quæsi. à 7.

Terra tremuit ab ira tua. à 6. Alexan. Utendal.

Item. O profunditatem divitiarum. à 6.

In Transposito systemate apud Orlandum.

Te Deum laudamus. à 6.

Delicia Phœbi. à 5.

Peccavi. à 5.

Susanna se videns, &c. à 6. in Miscellis Lech-

In Cantionibus sacris Lindneri.

Adorna thalamum. à 5.

O rex gentium. à 6.

In Corollario Lindneri.

Canite tuba in Sion. à 6.

Ierusalem cito veniet salus tua. à 6. &c.

Ad

Ad connexum Phrygiæ systema, ubi Phrygius cum Hypophrygio connectitur, in ambituum $\delta\iota\alpha\ \tau\alpha\sigma\omega\mu$, *referrri possunt:*

Dilexi, quoniam exaudiet Dominus. à 8.

Ludovici Dafer.

Angelus ad Pastores. à 12. In continuatio-
bus Lindneri.

Exempla Lydij Modi.

Lydius Modus, ut supra monuimus, propter Tritonum duriusculè auribus accidit, non tantum in modulatione simplici, sed precipuè in figurata, in clausulis formandis, & Harmonia plurium vocum deducenda, ideò rarissima huius Modi exempla reperiuntur: aliqua tamen, quæ occurrunt, recensēbimus. Et Lydium quidem propriè sic dictum, sive Lydium Contentū in regulari systemate eleganter expressit Vtendalius in Cantilena: Fratres expurgate vetus fermentum. à 6. Item Philippus de Monte in Cantilena: Beati qui habitant. à 5. in Miscellis Lindneri. Sic aliquot etiam exempla inveniuntur apud Italos in Magdricatibus Lucae Marentij & aliorum etiam in Trasposito systemate.

D 4

Hypo-

Hypolydy exemplum est apud Orlandum.

Quid prodest homini. à 5.

Verum propter crebram fictionem, qua ad vitandum tritonum, b rotundum inseritur, ferè in Hypo Ionicum transit. Purius exemplum est in Corollario Lindneri.

Non turbetur cor vestrum. à 5.

Ecce Dominus veniet. à 5. Jacobi Handl.

Exempla MyxoLydijs.

MixoLydius tam Contentus quàm Remissus frequentior est in systemate regulari, quàm in transposito. Consuetudine ita invalescente, cum non minus commodè in transposito decurrat.

Exempla in utroq; systemate referemus, & primo MixoLydy contenti in regulari systemate, ut apud Orlandum.

Iubilate Deo. à 6.

Ubi est Abel frater tuus. à 5.

Tibi laus tibi gloria. à 5.

Sicut mater consolatur filios. à 5.

In convertendo Dominus. à 6. Lechneri.

Maria Magdalena. à 5. Clementis non Papæ.

Sic in Miscellis Lechneri.

Fuit

Fuit homo missus à Deo. à 5.

Factus est repente sonus. à 5.

Beata Dei genitrix. à 5.

In continuationibus Lindneri.

Pacem relinquo vobis. à 5.

Repleti sunt omnes Spiritu sancto. à 6.

Si quis diligit me. à 6.

Tu es Pastor ovium. à 6.

In Corollariis Lindneri.

Hodie nobis cœlorum rex. à 6.

Beata es virgo Maria. à 5.

Mane nobiscum Domine. à 5.

Solve iubente Deo. à 6.

Tu es Petrus. à 6.

Ibant Apostoli gaudentes. à 5.

In Transposito (systemate exemplum habetur apud Orlandum.

Quis valet eloquio. à 5. Item:

Petre amas me. à 6. Iacobi Handl.

Hypomixolydy exempla in regulari systemate sunt apud Orlandum.

Timor & tremor. à 6.

Vexilla regis prodeunt. à 6.

Nuptiæ factæ sunt. à 6.

Iunior fui, etenim senui. à 6.

Veni creator Spiritus. à 6.

D 5

Tityre

Tityre tu patulæ recubans. à 6.
 Gustate & videte. à 5.
 Ecce Maria genuit nobis. à 5.
 Benedicam Dominum in omni tempore. à 5.
 Inter natos mulierum. à 5.
 Dixit Dominus Domino meo. à 8.
 Ingrediente Domino in sanctam. à 5. Pan-
 dolphi Zallamellæ.
 Iubilate Deo. à 8. Lucæ Marentij.
 Ego dormivi & soporatus sum. à 6. Brunonis.
 Cor mundum crea in me Deus. à 6.

Sic in continuationibus Lindneri.

Tribus miraculis ornatum diem. à 5.
 Maria Magdalena. à 7.

In Corollario Lindneri.

Quem vidistis pastores. à 8.
 Cum esset desponsata mater Iesu. à 5.
 O gloriose Domine. à 6.
 Si quis diligit me. à 8.

In Melodijs sacris Norinbergicis.

Paratum cor meum Deus. à 5.
 Domine Iesu Christe adoro te. à 8.
 Iubilemus singuli. à 8.

In Transposito systemate, hæc sunt præcipuè:

Lauda Ierusalem Dominum. à 6. Orlandi.
 Laudate Dominum in sanctis eius. à 4. Handl.
 Surge illuminare. à 6. Vincentij Ruffi in cont.

Exem-

Exempla etiam habentur MixoLydy contenti, cum HypomixoLydio connexi, in systemate pleno, quod ambitu suo intervallum trium δια τασωρ complectitur, quale est celebris illa Cantilena Alexandri Strygy, quadraginta vocum discriminibus composita.

Laudem Iehovæ summi, &c. Item:
Iubilare Deo. à 8. Andreae Gabrielis in conti.
Ecce venit desideratus gentibus. à 12. in Corollario.

Mirabiles elationes maris. à 8. in Melodijs sacris.

In te Domine speravi. à 12. ibid.

Plaudite jubilate Deo omnis terra. à 12. ibid.

Nisi Dominus ipse fuisset nobiscum. à 16. &c.

Exempla Æolij Modi.

Æolius Modus, ut quondam nomine peregrinus appellatus est, ita recipsa olim peregrinus fuit & exul in figurata Musica, rarissime enim est usurpatus. Hodie verò non minus frequentia eius exempla occurrunt, ut aliorum Modorum, quorum quedam recenserebimus, & primum quidem in systemate Regulari Æolij contenti, ut apud Orlandum.

Ad te

Ad te levavi animam meam. à 6.
 Benedictio & claritas. à 6.
 Deus in adiutorium meum. à 6.
 O altitudo divitiarum. à 6.
 In Deo salutare meum. à 6.
 Domine Deus rex magne. Hannibalis Padua-
 ni à 6.

Sic in continuationibus Lindneri.

Angelus Domini descendit de cœlo. à 7.
 Isti, qui amicti sunt stolis albis. à 6.

In Corollario Lindneri.

Tempus est, ut revertar. à 6.
 Duo Seraphin clamabant à 8.

In Melodijs sacris Norinbergicis.

Ave Maria gratia plena. à 5.
 Ad te levavi animam meam. à 5.
 Iustorum animæ in manu Dei sunt. à 5.
 Verba mea auribus percipe. à 5.
 Audi Hymnum & orationem. à 6.
 Suscepimus Deus misericordiam. à 6.
 Exaudi Domine iustitiam meam. à 6.
 Sanctificavit Dominus tabernaculum. à 7.
 In tribulatione miserere mei. à 8. &c.

*In systemate Transposito pauciora exempla
 habentur, & hæc ferè:*

O profunditatem divitiarum. à 6. Ioh Thom.
 Tribio. O vos

O vos omnes qui transitis. à 6. Iac. Handelij.

O vos omnes qui transitis. Alphonsi Ferabosci
in Cantionibus sacris Lindneri.

In Corollario Lindneri.

Laudem dicite Deo nostro. à 8.

Timete Dominum omnes sancti eius. à 6.

Ecce ego mitto vos sicut oves. à 5.

Ad Dominum cum tribularer. a 8.

Psalmus Paschalis in exitu Israel: Meilandi &
aliorum.

*Hypo A Eoly exempla in systemate Regu-
lari non facile inveniuntur, apud Iacobum
Handelum verò hic Modus est longè frequen-
tissimus, cuiusmodi exempla sunt:*

O quàm metuendus est locus iste. à 8.

Usq; quo Domine. à 8.

Laus & perennis gloria. à 8.

Duo Seraphin clamabant. à 8.

Rorate cœli desuper. à 6.

Quid gloriaris. à 6.

Domine quando veneris. à 6.

Adoramus te Iesu Christe. à 6.

Usq; quo Domine. à 6.

Miserere mei Deus. à 6. &c. & alia multa.

Sic & apud alios Autores, ut:

Pater peccavi in cœlum. à 6. Andreae Pever-
nage.

Domine

Domine à lingua dolosa. à 5. Hannibal Pa-
duanus.

Beati immaculati in via, à 8. in Melodijs sa-
cris, &c.

*In Transposito systemate rarior est. Ex-
emplum habetur in Cantionibus sacris Fride-
rici Lindneri.*

Timor & tremor à 6. Item:
Ad Dominum cum tribularer clamavi. à 4.
Handelij.

*Exemplum AEolij connexi, ubi AEolius
cum Hypo AEolio in systemate pleno, quod spa-
cium trium octavarum complet, connectitur,
est:*

Exultate iusti in Domino. à 10. in continua-
tionibus Lindneri.

Item: Deus, Deus meus. à 10. in Corollario.
Et in Melodijs sacris.


Domine à lingua dolosa. à 8. &c.

*Hac exempla Modorum, si diligenter
inspiciantur, studioso Modorum Musicorum
sufficient. Satis enim uniuscuiusq; Modi clau-
sulas, ambitum, finem, variationem, natu-
ramq; quò inclinet, indicabunt. Ideo per-
gamus ad reliqua.*

DE

DE TERTIO.

Ad quam clavem in organo
Pneumatico in templis usitato, qui-
libet Modus cantari debeat
vel possit.

 Antoris officium inter cetera hoc et-
iam precipuum est, ut in choro Mu-
sico regendo Cantilenas suas ea sono-
rum intensione inchoet, quae omnibus suis con-
centoribus recte conveniat, ut quilibet suam
partem sive vocem, quam canit, ambitumque
eius, tam in acumine, quam in profunditate,
suavi modulatione permeare possit. Hoc enim
modo suavius consonantiae miscebuntur, &
plurimum gratiae & auctoritatis toti cantilena
conciliabitur. Contra vero, si in hac re pecca-
tum fuerit, sonusque in inchoando datus, nimi-
um vel ad profunditatem vel ad acumen ac-
cesserit, omnis gratia cantilena perit, & Har-
monia penitus destruitur. Nam ut quisque con-
centorum ambitum suae partis sive vocis recte
attingere possit, necessarium erit, cum id na-
turali facultate prestare non queat, ut magno
conatu

conatu & vi quadam hoc efficiat. Omne au-
 tem violentum, ut natura, ita & Harmonia
 penitus inimicum. Diligenter igitur is, qui
 alijs incipiendi sonum praebet, & cantilenam,
 quam ad modulandum proponit, quo ad ambi-
 tum & progressum, & deinde concertorum
 etiam suorum in altitudine & profunditate
 sonorum exprimenda, vires recte cognitas ha-
 beat, ut inde cantilena sua convenientem so-
 num in initio capere possit. Et exercitato qui-
 dem in hac re Cantori fortassis, si & vocis suae
 mensuram recte noverit, & in privato loco, ex
 suo arbitrio cum suis concertoribus modulatus
 fuerit, hoc difficile non erit. In templo vero,
 ubi alternatim & in organo pneumatico, & in
 choro Musico canendum est, incipiendi modus
 iam non amplius in arbitrio Cantoris situs est,
 sed ipsi sonus, quem in qualibet clave organum
 praebet, praescribitur. Cantoris tamen erit cla-
 vem in organo, quam suae cantilena convenire
 putabit, ab organico poscere. Organici vero eam
 recte in Diatonico genere, ut natura fert, ex-
 hibere, nec per Chromaticas claves species
 δια μίγνυτε & δια τεωάρων in alias atq; alias
 formas detorquere. Hoc enim modo, dum or-
 ganicus

Organicus Cantorem imperitiæ arguere conatur, omnem rationem incheandi cantilenam adimit, & confundit, unde & confusionem totius Harmonia consequi necesse est, nec in potestate Cantoris etiam exercitatisissimi situm est hoc avertere, nisi paululum organo desinente quieverit, & inde mutato aliquantulum vel in grave vel in acutum sono, veras & sue cantilene convenientes τὸ δία πέντε & τὸ δία τεσσάρων species concentoribus præmonstraverit, falsasq; ab organico auribus intrusas oblitteraverit. Quod quidem ut Cantori necessarium est, Ecclesiæ verò dedecori, ita tota eius culpa organico imputanda.

Quam autem clavem in quolibet Modo Cantor poscere debeat, iam docendum, & ut tota res facilius expediri possit, prius de intensione organorum pneumaticorum est statuendum, quæ rarò sunt eiusdem vel propinqua intensionis, interdum enim tono, vel semiditono, vel ditono vel etiam amplius acumine vel gravitate inter se differre solent, unde fit, ut universaliter de sono ex organorum clavis poscendo, in omnibus Modis Musicis status non possit.

R

Eaigi

Ea igitur intensio Organorum videtur
 optima & choro Musico apta, quæ instrumentis
 Musicis, qualia præcipuè sunt Cornua, Ger-
 manis Zinken / item, quæ Italis Dulce
 sonum dicuntur, convenit. In hac enim inten-
 sione, Harmonia totius sui systematis ambitus
 διε διε πασῶν διε πέντε comprehendens, si
 vel ad Hypophrygium ex clave E. vel ad Hy-
 po Æolium ex clave A. canatur, ita haberi
 poterit, ut illa à profunditate, hæc verò ab acu-
 mine non magnopere laboret. Inter hos au-
 tē fines omnis huiusmodi Harmonia in omni-
 bus Modis decurrit. Et huius intensiois ferè
 sunt organa pneumatica, quæ in templis auli-
 cis principum ad chorum Musicum adhibentur,
 item quæ in urbibus maritimis habentur, &
 quæ hodie etiam nova fabricantur. Ad hanc
 vel propinquam intensioem totam rem diri-
 gamus. Si quis in diversæ intensiois organon
 incidit, is comparatione facta, quæ eius cla-
 vis cuilibet Modo convenire possit, faciliè hinc
 divinabit.

Et primo quidem de ea Harmonia, quæ
 διε διε πασῶν διε πέντε toto sui systematis
 ambitu non excedit, & ad quam clavens in
 organis

Organis quilibet eius modus siue in systemate
 regulari, siue in transposito scriptus fuerit, sim-
 plicissima ratione cani possit, dicemus. De ijs
 enim cantilenis, quæ ad A Equales canuntur,
 præcipere necesse non est, cum exiguo ambitu
 concludantur, & ad extremos in scala sonos non
 facile accedant, atq; ideo ut lubet, etiam ex
 diversis clavibus, tantummodo observatis
 speciebus δία τῶν τε & δία τῆσά γ' ὀρ' incipiendi
 sonum accipere possint. Ionicus igitur con-
 tentus ad clavem C. regularis systematis ca-
 nitur. Hypo Ionicus verò ad clavem F. trans-
 positi. Dorius contentus ad clavem D. regula-
 ris systematis: Hypodorius ad clavem G. trans-
 positi. Phrygius & Hypophrygius ex clave E
 procedunt. Lydius contentus ex clave B. trans-
 positi systematis cani potest: Hypolydius ex
 clave F. systematis regularis. Mixo Lydius
 contentus ex clave C. transpositi: Hypo Mixo-
 Lydius ex clave G. regularis systematis. AEo-
 lius contentus ex clave D. transpositi. Hypo-
 AEolius verò ex clave A. regularis systematis.

Hæc quidem est simplicissima & facili-
 ma ratio transponendi cantilenas in organis
 ad eas claves in quib. eadem species δία τῶν τε

Ἐ δὲ τὰς αἰσῶν permanent, quæq; Cantorem
de incipiendi sono dubium reddere non pos-
sunt.

Verum cum Ἐ hac ratione cantilena in-
terdum ad graviores sonos, quam par est, de-
iciantur, Ἐ Harmonia inde languidior gene-
retur pigriorq;, perito Cantori sæpè ad alias
claves confugiendum est, quæ quidem natura-
li ratione easdem species δὲ αἰσῶν Ἐ δὲ
αἰσῶν illius cantilena, quam ad modulan-
dum proposuit, non exhibent, sed quæ tamen
per Chromaticam clavem, quam Fis vocant,
si in organica modulatione loco Diatonice cla-
vis F. tangatur, Ἐ reliquis Diatonicis clavi-
bus immisceatur, eò redigi possunt, ut aliquò
modo eas representent, ubi observandum, non
nimis strictè ab Organico hanc fictionem per
clavem Chromaticam Fis esse postulandam.
Nam cum hac clavis nullam Diatonicam in
perfectis consonantijs admittat præterquam
□ quadratam in quinta consonantem, fit, ut
omnis modulationis suavitas in organis pneu-
maticis hac ratione destruat, Ἐ dura, aspe-
ra Ἐ auribus pariter ac animis ingrata Har-
monia exoriatur, quod magno studio ab Orga-
nico

nō declinandum & cavendum. Acquiescendum igitur est Cantori, si δία τέντε tantummodo rectè exhibeatur, etiamsi δία τεσσάρων exactè haberi non possit. Putant quidam, qui Musicam figuratam exercent in instrumentis Musicis, sive illa inslentur, sive intendantur, omnem cantilenam, quæ transpositione egeat, per quartam rectè deici & ad profundiores sonos manentibus iisdem speciebus δία τέντε & δία τεσσάρων traduci posse. Verùm cum id fieri non possit, nisi clavis Chromatica Fis inseratur, quæ Diatonicis clavibus in perfectis consonantijs vix consonat, illos falli in confesso est. Fictio autem hæc specialis sive transpositio, ut vocant, in quibus Modis & clavibus accidat, breviter indicabimus. Et quidem Ionicus contentus suam clavem raro: Dorius verò, Phrygius, Hypophrygius, Lydius, Hypo-Lydius, Hydomixolydius & HypoÆolius nunquam mutare consueverunt, sed ex ijs clavibus, ut iam dictum est, semper canuntur. Reliquis verò Modis incipiendi sonus, etiam ex alijs quam hætenus monstratum est, clavibus exhiberi potest, ut Ionico quidem contento ex clave D. quando organicus, dum organo præcinit,

tinit, pro clave F, clavis Chromaticam Fis,
 quam vocant, tangit, & reliquis Diatonicis
 interserit. Hac enim ratione prima species
 δια πέντε, huic Modo conveniens exhibetur.
 Sic Hypo Ionico clavis G. regularis systematis
 aliquo modo convenit, eadem enim hic prima
 species δια πέντε habetur, etiamsi secunda spe-
 cies δια τεσσάρων prater Hypo Ionici Modi na-
 turam adiungatur. Hypodorio verò clavis A.
 ex qua secunda species δια πέντε huic Modo
 conveniens procedit, etiamsi & hic tertia spe-
 cies δια τεσσάρων pro secunda inseratur. Mi-
 xo Lydius cum Ionico contento ex clave D. ca-
 ni potest, si & hic pro clave F. clavis Chroma-
 tica Fis substituat. AEolius ex clave E. ple-
 rumq; canitur, etiamsi hic pro secunda specie
 δια πέντε, que huic Modo convenit, tertia ex-
 hibetur: tamen hæc vel ad secundam redigi
 potest, si pro clave F. clavis Chromatica Fis
 tangatur: vel quamvis & hoc non fiat, tamen
 inter secundam & tertiam τῶν δια πέντε spe-
 cium non adeò magnū est discrimen. Atq; hæc
 de Harmonia, que die δια τεσσάρων δια πέντε
 ambitu suo non excedit.

Quæ

Qua verò integro sui systematis ambitu
 ἤϊς δία πᾶσιν implet, vel etiam excedit,
 non facile per δία τεσσάρων transponi vel sin-
 gi potest, sed vel ex ijs clavibus, quibus scripta
 est, canitur, vel in propinquam clavem, per
 tonum vel semiditonom, tantummodo eadem
 vel cognata species δία πέντε retineatur, de-
 citur, vel elevatur. Qua ratione autem id fie-
 ri possit in singulis Modis videbimus.

Et Ionicus quidem cum Hypo Ionico con-
 nexus, in sua clave, qua exhibetur, canitur, vi-
 delicet ex clave F. transpositi systematis. Si
 in clave C. quod similiter fieri posset, scribere-
 tur, per secundam posset in clavem B. deprimi,
 in quartam speciem δία πέντε, qua tamen co-
 gnata est prima, & facile per fictionem cla-
 vis Chromaticæ Dis pro clave E assumpta, in
 primam redigitur.

Dorius cum Hypodorio connexus scribi-
 tur & in clave D. regularis systematis, & in
 clave G. transpositi, ille ex clave D. qua scri-
 ptus est, canitur, vel per secundam in clavem
 C. deprimatur, fictione per clavem Chroma-
 ticam Dis pro E. facta, ut secunda species

E 4

δία

διὰ τῆς εὐτῆς exprimat^r, interdum etiam per quartam deprimi potest in clavem A. Hic verò per semiditonym in clavem E. transponi potest, ubi quidem pro secunda specie διὰ τῆς εὐτῆς tertia exhibetur: sed tamen quæ à secunda non magnoperè differat & inchoandi rationem non turbet. Fieri etiam potest ut ad secundam exaltetur, & ex clave A. canatur, si in profundioribus sonis scriptus fuerit, quæ omnia usus docebit.

Phrygius cum Hypophrygio connexus ex clave E. qua scribi solet, canitur. Quemadmodum & Lydius cum HypoLydia connexus ex sua clave F. regularis systematis, quam eius exempla non facillè inveniuntur. MixoLydius cum Hypo.MixoLydio connexus in clave G. Regularis systematis scribi solet, per secundam hic deprimi, & ex clave F. in organis fingi potest, eadem enim species διὰ τῆς εὐτῆς retinetur, quod accideret etiam AEolio cum Hypo AEolio connexo, & in clave A. descripto, si per secundam in clavem G. transpositi systematis deprimeretur, cum utrobique secunda species διὰ τῆς εὐτῆς exprimat^r.

Atq;

*Atq; hæc sunt etiam, quæ de hac parte hu-
ius exercitationis admonenda duxi. Si quæ
occurrent quæ ab hac delineatione variare vi-
debuntur, ea usus docebit, neq; enim omnia
præceptis possunt comprehendi, sed mul-
ta industria Cantorum sunt
relinquenda.*

F I N I S.



E S EXER.

EXERCITATIO

ALTERA

De

INITIO ET
PROGRESSV MV-

SICES, ET ALIIS QUI-
busdam ad eam rem spe-
ctantibus;

PRÆMISSA PRÆLE-
ctioni Musicae, in ludo Se-
natorio Lipsiensi ad D.
Thomam.



DE INITIO ET PRO-
GRESSV MUSICES
exercitatio.



Vi artem aliquam li-
beralem explicandam suscipi-
unt, ij, quæ ad illius dignitatem
amplificandam, & utilitatem
commendandam faciunt, stu-
diosè conquirere, & auditoribus proponere
solent omnia, eo fine, ut discipuli, si de ea di-
sciplina, in qua edoceri debent, præclaram
animo imbiberint opinionem, & existimatio-
nem hauserint honorificam, ad indefessum
studium, in ea percipienda, collocandum, &
ad maiores in ea progressus faciendos, magis
accendantur. Huic consuetudini si obsequi
vellem, ea se oblatura essent argumenta in
laudanda Musica, quæ vel maximo temporis
spacio proponi, & satis explicari non possent.
Verum cum brevitatis rationem in primis ha-
bendam duxerim, & Musica per se satis lau-
data sit, omissa omni alia commendatione,
priusquam ad ipsa præcepta transeamus, uni-
cum tantum caput, quod ad Historiam Musi-
ces præcipue facere videtur, tractabo. Quibus
videlicet initijs Musica cœperit, quæ incre-
menta

crementa sumserit, & quomodo ad eam perfectionem, qua hodie floret, pervenerit. de qua re si breuiter quædam annotaui ad Musica Theoremata & præcepta explicanda commodius accedemus.

Præpotentem Deum, omnium bonarum artium in vita hominum necessariorum, datorem esse, non solum sacra litera ostendunt, sed etiam qui apud profanos atq; Ethnicos saniores extiterunt, Philosophi & Poeta, idem agnoverunt. Quid enim habet homo, quod non accepit. Cum ipse ex sese minus nihilo sit? Ideo Deus qui Danieli, socijsq; ipsius scientiam & disciplinam in omni libro ac sapientia, apud Chaldaeos dedit & Bezalelem in ædificando & exornando tabernaculo, omni artificio instruxit: Primus nostris parentibus, statim in ipso creationis exordio, omnium artium principia iniecit, affectum animi, ad erudendas artes accommodatum, iniecit, & longævitatem, ad eas excolendas & propagandas necessariam, concessit, cum ipse sit solus sapiens, & omnis scientia ab ipso promanet. Quod Plato etiam in Philebo affirmat, cum ait, Philosophiam, qua omnes artes liberales comprehenduntur, *δὸς δὲ θεῶν εἰς ἀνθρώπους εἶναι*, Esse donum Deorum datum hominibus. Et nullum maius bonum nec venisse nec

nec venturum generi humano, quam Philosophiam à Deo hominibus donatam, in Timæo concludit. Idem & Poetæ censent, dum omnium rerum in vita necessariarum inventionem certis quibusdam Dijs acceptam re-
tulerunt, quod, si opus esset, plurimæ ex Poetis sententiæ excerptæ, planum facere possent.

Ut autem verissimum est, bonarum artium datorem Deum esse: ita idem de arte Musica affirmari liquido potest. Quod vel Plutarchus, quamvis Ethnicus agnoscit, qui in libello, qui de Musica inscribitur, sic ait: *σεμνή οὖν καὶ πάντα ἡ μουσική θεῶν εὐρημα.* Omnibus modis veneranda est Musica, cum Deorum inventum sit. Deus igitur statim post hominum creationem, Adami temporibus, Iubalem, Lamechi, ex vxore Ada, filium excitauit, qui Musicam, antea inventam, & usu vocis humanæ cultam, excultam, politamq; instrumentis Musicis, tam ijs, quæ inflantur, quam quæ chordis intenduntur, aptaret. unde idem Iubal dictus est Pater omnis tractantis, sive apprehendentis Chinor & Huggab *כִּינֹר וְחֻגָב*. Quæ duo instrumenta Musica latinus interpres, vertit Citharam & organum. rectius Lutherus, qui hunc locum ita reddidit, Von dem sind herkommen die Geiger und Pfeiffer. Instrumenta enim fuerunt quæ apprehendi

prehendi, tractari, & suspendi poterant, quod de organo, nisi generaliter accipiatur, affirmare vix licet. Et simul sub hisce duobus omnis generis instrumenta alia intelliguntur. ut sub Chinor omnia illa quæ Chordis sive fidibus intenduntur: ut sunt, Clavichordia, instrumenta peculiariter sic dicta, Cithara, Psalterium, testudo, Lyra, Pandura, Sambuca, Rotula illa, quæ Germanis perperam lyra dicitur, qua mendici ostiatim uti solent. Sub altero vero sub Hugab, quod à suspirijs trahendis nomen habet, omnia illa, quæ spiritu inflantur: ut tuba, Cornu, buccina, lituus, tibia, Syrinx, utricula, monaulus, organon.

Etsi autem ante diluvium, aureo illo seculo, cum non tantum, quæ ad vitam degendam necessaria erant: sed etiam, quæ ad omnis generis voluptates excitandas facerent, affluerent, & hominibus superessent, in Musicæ studio, procul dubio plurimum laboris, & industriæ positum fuit, atq; ideo tum temporis cultissima Musica extitit: tamen cum per diluvium præter paucos, totus mundus, voluptatibus penitusmersus, ultricibus aquis immergeretur & suffocaretur: afflictionibus quæ diluvium subsequutæ sunt, Musicæ studium fere extinctum est, tantumq; apud paucos, in Semi Patriarchæ potissimum familia,
 eius

eius reliquiæ remanserunt. Iapheti enim posteris, cum in omnes insulas, in incultissima loca dispergerentur, priusquam, quibus vitam in vastissimis istis locis, tolerare commodè possent, invenissent: Cum diu ferarum more in sylvis, glandibus, radicibus & herbis vixissent, omne Musices studium abjecerunt. inde factum, ut seris temporibus tandem, cum cultiores iam essent, & vitam agerent tolerabiliorem & commodiorem, eius usum à Patriarchæ Semi, vel etiam Chami posteris, cum literis alijsq; artibus, per Cadmum Agenoris regis Phœniciaë filium, & alios repeterent. vel novam Musicam, qualem quisq; poterat, excogitarent. Unde tot & tam varij apud Ethnicos Musicæ inventores recensentur.

Proculdubio autem Musica ex usu humanæ vocis tum temporis initium sumsit. Cum enim homines communicatione sermonis, qua præcipuè à bestijs differunt, relictis sylvis & solitudinibus congregarentur: paulatim ille sermonis usus excultus est, & rythmi excogitati, quos ut sono vocis paululum variato, in modulationis forma proferrent avicularum cantilationes videntur esse imitati. in qua opinione etiam Poëtam Lucretium fuisse, apparet ex hisce ipsius versiculis:

At liqui-

*At liquidas avium voces imitariæ oræ
 Ante fuit multò, quàm lenia Carmina cantu
 Concelebrare omnes possent, auresq; iuvare.
 Et Zephyri cava per calamorum sibila, primum
 Agrestes docuere cava inflare cicutas.
 Inde minutatim dulces didicere querelas,
 Tibia quas fundit digitis pulsata canentum,
 Avia per nemora ac sylvas atq; ocia dia.
 Sic unum quicquid paulatim protrahit etas.*

Cæterum valde rudis in initio Musica
 fuit. Agrestes enim homines, cum à natura
 insitum haberent, Deum colendum esse, &
 beneficijs divinis fertilitate scilicet agrorum
 & copia fructuum, ad gratias Deo agendas, in-
 vitarentur: aut calamitatibus ad earum miti-
 gationem petendam adigerentur: Si quando
 à laboribus vacui, diebus festis conveniebant,
 victimas immolarunt. id enim ferè reliquum
 fuit, ex studio & exercitio pietatis, Patriar-
 chis usitato, quod per manus veluti traditum,
 à maioribus suis acceperunt. Circa illas victi-
 mas choros egerunt, & simplici, rudiq; mo-
 dulationis genere Deorum laudes, rythmis
 quibusdam comprehensas celebrarunt. Poste-
 ro tamen tempore adhibitus fuit, qui sacris
 præcineret: sed simplici instrumento, ex can-
 nis vel avena facto, vel etiam ex animalium
 sive gruum cruribus, unde tibiæ nomen for-
 titæ

titæ sunt, absq; ullo artificio. ut hodie pueri solent, qui ex corticibus salicum, aut ex avena, vel arundinibus fistulas sibi conficiunt. Ex huiusmodi usu, cum Chori dextrorsum, sinistrorsumq; circa victimas ducerentur, Musica paulatim incrementa sumsit, & in varia instrumentorum genera excrevit. Quod & Horatius in arte Poetica affirmat in hisce versibus:

*Tibia non, ut nunc, Orichalco vindicta, tubæq;
 Aemula: sed tenuis, simplexq; foramine paucō
 Aspirare, & adesse choris erat utilis, atq;
 Nondum spissa nimis complere sedilia flatu.
 Quo sanè populus numerabilis, utpote parvus
 Et frugi, castusq; verecundusq; coibat.
 Postquam cepit agros extendere victor: & urbem
 Latior amplecti murus: vinoq; diurno
 Placari Genius festis impunè diebus:
 Accessit numerisq; modisq; licentia maior.
 Indoctus quid enim saperet, liberq; laborum
 Rusticus urbano confusus, turpis honesto?
 Sic priscae motumq; & luxuriam addidit arti
 Tibicen: traxitq; vagus per pulpita vestem.
 Sic etiam fidibus voces crevere sonoris.*

Primi autem Musicæ inventores apud Ethnicos, censentur Mercurius & Apollo. Et Mercurius quidem, ut Lucianus in Dialogis scribit, cum testudinem sive cochleam exarefactam

factam invenisset, brachia adaptavit, iugum statuit, & tres Chordas ad numerum trium partium anni, veris scilicet, æstatis, & autumnii, cum quo antiquitus hiemem coniungebant, induxit: quanquam postea quartam addidit & retrachordum, quod lyra Mercurij vocatum fuit, effecit. Apollo vero, cum Admeti Thessalorum regis, boves custodiret, ocij pertæsus Citharam invenit, ut refert Pausanias in prioribus Eliacis. Hinc Apollo Musicæ Deus habitus fuit, & ab Ovidio 1. Metamorph. hæc de se verba faciens, inducitur:

Iupiter est genitor, per me, quod eritq; fuitq;

Estq; patet; per me concordant Carmina nervis.

Eodem seculo & Amphionem Musicum vixisse, Historici quidam statuunt. Item Hyagnin Phrygem, qui primus tibiæ foramina addidit, duasq; tibias, quæ uno spiritu animarentur, coniunxit, atq; ita primus, dextris lævisq; foraminibus acuto tinnitu, & gravi bombo concentum Musicum miscuit. Huic successisse aiunt filium Marfyam, qui cum Apolline de peritia, elegantia & suavitate canendi, in instrumentis Musicis, an videlicet ipse tibia, vel an Apollo Cithara elegantius uteretur, certamen iniit, quo in certamine cum Apollo voce sua concentum Musicum in Cithara editum adjuvaret, Marfyas victus & excoriatus est.

Cæterum, quo seculo hi Musices inventores vixerint, ex autoribus conijcere vix licet. Quemadmodum enim omnia, quæ apud Græcos ante Olympiades gesta sunt, ut Censorinus asserit, fabulosa & incerta sunt, ita quæ de Musicorum primo seculo Græci tradunt, incertissima. Aliqui enim eos Iosephi seculo, cum Patriarcha Iacobus fame coactus in Aegyptum descenderet, floruisse contendunt. alii eos longè posteriores faciunt. Causa hæc videtur, quod Græci, cum suæ genti omnium artium inventionem ascribere cupiant, antiquissimos etiam eos, quibus inventio artium attribuitur, fingant. Ita Herodotus Cadmum, qui primus literas in Græciam attulit: item Bacchum, ante seculum Abrahami collocat, vix ducentos annos post diluvium. Eusebius eundem Cadmum coætaneum Iosuaë facit, & Abrahamo quadringentis annis posteriorem. Manetho vetus Historicus eundem adhuc centum annis iuniorem facit & Apollinem tum natum asserit. Musicam enim & alias artes, antequam literas & Grammaticam Græci discerent, inventas esse, vix credi potest. Nos, si quid veri in hac historia est, regrediendo eorum seculum investigabimus.

Troja capta est. secundum Iosephum Scaligerum

gerum, anno à condito Mundo 2769. decem annis post victoriam Iephtæ de Ammonitis. Centum viginti tribus annis, antequam David Sauli in regno succederet, regnante Proteo in Ægypto. Anno autem vigesimo octavo ante captam Trojam, Latinus rex, ad quem Æneas supplex in Italiam venit, fundamenta regni sui iecit. Eodem anno Hercules ex impatientia doloris, se in ignem conjecit. atque ita fato functus est, cum vixisset annos quinquaginta duos, ut vetustissimus Historicus Manetho testatur. Natus est igitur Hercules septuagesimo ante captam Troiam anno. Et in juventure condiscipulus fuit Orphei, præceptoremq; suum Linum, cum ab ipso rigidius increparetur, quod rusticè caneret, interfecit. Linus vero Apollinis & Terpsichores filius fuit, quod & Virgilius in Eclogis confitetur cum inquit:

*Non me Carminibus vincet, nec Thracius Orpheus,
Nec Linus: huius mater quamvis, atq; huius pater adsit
Orphei Calliopeia: Lino formosus Apollo.*

Orpheus vero & ipse Apollinis filius fuit, & discipulum habuit Musæum Eumolpi filium, qui cum Argonautis in Colchidem navigavit. Ex quibus omnibus apparet: Etiam si Linus fortassis sexagesimo ætatis anno ab Hercule interfectus fuisset, Patrem tamen ipsius

Apollinem & alios Musicae inventores & cultores centum annis everfionem Trojae non antecessisse, sed Gideonis iudicis Israelitici saeculo vix floruisse. Atq; ita Musica apud Graecos non ita vetusta est, ut quidem autores astruere conati sunt, & antiquitate sua Musicae Iudaicae, ut quae & apud Patriarchas, & statim post migratam Aegyptum, apud Israelitas celeberrima fuit, longe cedit.

Quatuor autem illae Chordae, in Lyra Mercurij, cuius mentionem fecimus, ita dispositae fuerunt, ut minima à maxima, sive ut clarius loquar, ut acutissima à gravissima per octavam distaret, Mediarum vero altera, à gravissima per Quintam: altera per Quartam abesset. Et dispositionem hanc vocarunt Harmoniam maximam, quae magnae auctoritatis posteriore etiam saeculo fuit. Statim tamen inventae Lyrae, extra hunc usum Harmoniae Maximae, ut complerent omnes claves, quae in intervallo Diapason, sive Octavae, per gradus ascendendo & descendendo numerantur, additae sunt aliae Chordae, ex quibus initium factum est ordinis illius, in deductione vocum Musicalium usitati, qui Scala vulgo appellatur.

Quis vero primus sit, qui Chordas plures huic Lyrae addere ausus fuerit, apud autores controversatur. Boethius enim cum alijs quibusdam

busdam affirmat, Terpandrum Lesbium primum lyram septem chordarum effecisse, & lyricos modos conscripsisse. Fuit autem Terpander, ut quidam volunt, Homeri Poetae abnepos: ut alij, Hesiodi filius. Et Esaiæ Prophetæ seculo, centum circiter annis ante captivitatem Babylonicam, cum Olympiades aliquot actæ essent, vixit, ultra quadringentos annos post Troiam captam. Verum ipse Homerus, qui centum annis primam Olympiadem antecessit, tempore Elisæ Prophetæ, centum annis post Salomonem defunctum, in Hymno Mercurij, lyrae septem chordas attribuit. Ideo necesse est, usum septem chordarum in lyra multo antiquiorem esse, quam ut Terpander illarum autor esse possit. Propter excellentiam fortasse artis, & quod primus Musicam peritissimè apud Lacedæmonios exercuerit, inventio septem chordarum ipsi attributa est. Septenarius verò numerus in chordis lyricis observatus fuisse creditur, vel ob septem illas Atlantidas, in quarum numero Mater Mercurij Maja habetur, vel ob septem Planetas.

Agnoscit autem & hic studiosus Musices, quanto antiquior & perfectior Musica apud Israelitas fuerit, quàm apud Ethnicos. Nam Davidis tempore, qui Homerum & Terpan-

drum aliquot seculis antecessit, Præter instru-
 menta illa, quæ inflabantur, ut tubas, buccinas,
 tubas ductiles, tubas corneas, &c. instrumen-
 ta habuerunt octo chordarum. item decem
 chordarum, Psalteria, Citharam, & alia. Et
 memorabile est, quod D. Hieronymus, in E-
 pistola ad Dardanum, scribit: Citharam He-
 bræorum viginti quatuor chordas habuisse;
 factamq; in forma literæ delta Græcorum Δ .
 quæ forma Citharæ nostræ, Germanicè *Harffe*
 non absimilis videtur.

Non dubium autem est Terpandrum se-
 cutos esse Musicos insignes, qui Musicam sum-
 mo studio coluerunt, ingeniosa inventionem
 auxerunt, & hominibus commendatiorem
 reddiderunt, in quorum numero etiam fuit
 Arion ille, qui Delphino insidens, sicariorum
 & piratarum violentas manus effugisse credi-
 tur. describit ejus Historiam Herodotus, Ovi-
 dius & Gellius. Vixit tempore septem sapien-
 tum in Græcia, cum Iudæi à Nebucadnezare
 in captivitatem Babylonicam transferrentur,
 vivente Ieremia Propheta. Sed tamen Musica
 adhuc valde imperfecta fuit, certitudo enim
 ejus tantum pendebat ab auditu, qui sensus est
 omnium maxime fallax, & discrimina sono-
 rum in minutioribus intervallis certo dijudi-
 care non potest. Ideo certa intervallorum di-
 stantia

stantia & proportio ignorabatur. Donec Pythagoras, qui Cambyfis regis Persarum seculo floruit, soluta post septuaginta annos captivitate Babylonica, cum ultimus apud Romanos rex Tarquinius superbus rerum potiretur, ultra sexcentos annos post captam Trojam, quingentis annis ante Christum natum, Musica intervalla consona certis proportionibus contineri deprehenderet, eaque non auditui tantum subjacere vellet, sed ratione ac certissima demonstratione ob oculos poneret. Occasionem autem demonstrationis inveniendae praebuerunt fabriferrarij, quam describit Boethius, lib. primo Musices: cap. 10. & 11. hisce fere verbis:

Pythagoras, cum certam intervallorum distantiam inquireret, relicto aurium iudicio ad regularum momenta migravit. Nec enim credidit humanis auribus, quae partim natura, partim etiam extrinsecus accidentibus permutantur, partim ipsis variantur aetatibus. Nullis etiam deditus instrumentis fuit, penes quae saepe multa varietas ac inconstantia nascitur. dum nunc quidem, si chordas velis aspicere, vel aer humidior, pulsus obtundat, vel siccior exsiccet, vel alio quopiam modo statum prioris

F S

constan-

constantia permutet. Et cum idem esset in cæ-
 teris instrumentis, omnia hæc inconsulta, mi-
 nimæq; estimans fidei, diuq; æstuans inquire-
 bat, quam ratione firmiter, & constanter
 consonantiarum momenta perdisceret. Cum
 interea divino quodam motu, præteriens fa-
 brorum officinas, pulsus malleorum exaudi-
 vit & diversis sonis unam quodammodo con-
 cinentiam personare. Ita igitur ad id, quod diu
 inquirebat, attonitus, accessit ad opus: diuq;
 considerans, arbitratus est, vires ferientium
 efficere diversitatem sonorum, idq;, ut apertius
 liqueret, imperavit ut malleos inter se permu-
 tarent. Sed sonorum proprietas non in homi-
 num lacertis hærebat, sed mutatos malleos co-
 mitabatur. Vbi igitur id animadvertit, mal-
 leorum pondera examinat. Et cum quinq; for-
 tè essent mallei, dupli reperti sunt pondere,
 qui sibi secundum diapason consonantiam re-
 spondebant. Et ex his eum, qui duplus erat ad
 minimum, comprehendit esse sesquicertium
 alterius, ad quem diatessaron sonabat. Et rur-
 sus eundem duplum, reperit esse sesquialterum
 ad eum, cum quo in diapente consonantia iun-
 gebatur. Duo verò hi, ad quos superior duplus,
 sesqui-

sesquitercius & sesquialter esse, probatus est,
 ad se invicem sesquioctavam proportionem
 perpensi sunt custodire. Quintus verò malleus,
 qui cunctis erat inconsonans, reiectus est. Cum
 igitur & ante Pythagoram consonantia Musi-
 ca, partim Diapason, partim Diapente, par-
 tim Diatessaron, quæ omnium minima conso-
 nantia putabatur, vocarentur, primus Pytha-
 goras hoc modo reperit, qua proportione sibimet
 hæc sonorum diversitas iungeretur. Et ut sit
 clarior quod dictum est, sint verbi gratia, malleo-
 rum quatuor pondera, quæ subter scriptis nume-
 ris contineantur. 12. 9. 8. 6. Hi igitur mallei,
 qui duodecim & sex ponderibus librabantur,
 Diapason sive octavam in duplo consonantiam
 personabant. Malleus verò duodecim ponde-
 rum, ad malleum novem ponderum, & ulte-
 rius, malleus octo ponderum, ad malleum sex
 ponderum, secundum sesquiterciam propor-
 tionem, in quarta, sive in diatessaron, conso-
 nantia, iungebantur. Novem verò ponderum
 ad sex, & duodecim ponderum ad octo, quin-
 tam sive Diapente consonantiam, in sesquial-
 tera proportione permiscebant. Rursus No-
 vem ponderum ad octo, in sesquioctava propor-
 tione

ziones resonabant Tonum. Hinc igitur domum
 reversus, varia examinatione perpendit, an
 in his proportionibus ratio consonantiarum to-
 ta consisteret. atq; nunc pondera, quæ recens in-
 ventis proportionibus respondebant, chordis
 aptans, earum consonantias aure dijudicabat.
 Nunc vero in longitudine chordarum duplici-
 tatem, medietatemq; observans, ceterasq;
 proportiones aptans, integerrimam fidem di-
 versa experientia capiebat. Et se nihil diver-
 sum à vero invenisse, latabatur. Haecenus
 Boëthius.

Inventis igitur harum trium, Octavæ
 scilicet, Quintæ & Quartæ consonantiarum
 proportionibus, cum adhuc duæ omnino
 consonantiæ superessent, quæ veteribus in usu
 fuerunt: Diapason videlicet cum Diapente,
 quæ nobis est duodecima, & Disdiapason, quæ
 nobis est decima quinta: harum etiam pro-
 portiones inquisivit, & invenit priorem qui-
 dem contineri in tripla proportione. Posteri-
 orem vero in quadrupla. Et cum omnes con-
 sonantiæ Musicæ, quæ ipsi notæ erant, vel in
 multiplicibus vel in superParticularibus pro-
 portionibus continerentur: conclusit reliquas
 Proportiones in Arithmeticis: ut sunt Pro-
 portio superpatiens, Multiplex superParticu-
 laris,

laris, & Multiplex superpartiens, ad consonantias gignendas ineptas esse. In hac opinione ipse Pythagoras permansit, & qui ipsum postea secuti sunt. Diversum n. à tantæ eruditionis & authoritatis viro, qui statuere ausus fuerit, longo tempore inventus est nemo. Donec ducentis annis post Pythagoram, atq; ita trecentis & triginta fere annis ante natum Christum, circa annum mundi 3620. Aristoxenus natione Italus, Patria Tarentinus, Discipulus Aristotelis, qui propter peritiam rerum Musicarum, cognomine Musicus, appellatus fuit, contra Pythagoram diversam sententiam tutatus est. Nam cum soni, in quibus explicandis & dijudicandis Musica occupata est, sint res naturales, & subjecti sensibus, auditui videlicet: sic ratiocinatus est: Sensus ad quod proprie percipiendum aptus est, nunquam fallitur, dummodo & intervallum moderatum sit, & id quod interijcitur, probe affectum. At vero auditus ad percipiendum & dijudicandum sonum proprie aptus est. Ratione igitur auditus, non ratione proportionum de intervallis, præcipue vero de consonantijs, est pronuntiandum. Allegavit etiam hoc: Quod nisi auditus esset, nulla omnino de sonis disputatio oriri posset. & etiamsi aliquid rationi & proportionibus dandum esset: auditum tamen
in sono-

in sonorum & eorundem distantiarum dijudicatione, non tantum non excludi, sed præponi debere. Cum Aristoteles pronunciaverit: Nihil esse in intellectu, quod non prius fuerit in sensu. Hoc est, nihil intelligi, nisi id antea sensu perceptum fuerit. Quapropter non ex proportione tantum multiplici & superParticulari: sed etiam ex alijs Proportionum speciebus, si auditui ita exploratum esset, consonantias formari posse contendit. Hisce & similibus Argumentis Aristoxenus Pythagoreorum Theoremata impugnabat. Et quidem non plane illum falsum fuisse, usus & experientia satis testatur. Sextam enim, quæ veteribus esset Tonus sive Semitonium cum Diapente, consonantiam esse, nemo est hodie, modicè tantum in rebus Musicis versatus, qui dubitat, cum ab ipsius vero & legitimo usu, omne artificium, omnis elegantia & suavitas harmoniæ pendeat. Et tamen ipsa nec in multiplici, nec in superParticulari proportione, ut Pythagorei consonantiarum formas definirunt, continetur, sed in Proportionibus superpartientibus: id quod etiam in alijs quibusdam consonantijs accidit, ut in Theorematis Musicis hac de re prolixius audiemus. Effecit etiam Aristoxenus tum temporis, talibus disputationibus, ut à quibusdam consonantia

nantia etiam illa, quæ veteribus est Diapason cum Diatessaron, nobis vero undecima, ad reliquas, ab omnibus receptas quinque consonantias adderetur. Cum tamen & ipsa nec in multiplici, nec superparticulari proportione circumscriberetur. Sed Multiplici superpartiente, quam Pythagoras ad formandam consonantiam inhabilem esse pronunciaverat. Hoc modo, qui studium Musices excolebant, in diversas sectas dividebantur, cum alii Pythagoræ, alij Aristoxeno adhærerent. Et qui quidæ Pythagoræ placitis addicti erant, vocabantur Canonici, quod Musicæ sonos ad Proportionis sive rationis Canonem rigide examinerent. Qui vero Aristoxenum sequebantur, Harmonici, quod auribus in Harmonia iudicanda plus fiderent, quam rationi. Duravit illud dissidium Musicorum ferè ad annos quingentos, usque ad Claudium Ptolomæum, insignem illum Mathematicum, cujus opera, diligentia & industria Astronomia imprimis, Item Musica & Geographia mirifice exulta est. Vixit is sub Antonino Pio Imperatore, post Christum natum, circiter annum centesimum & trigesimum. Et mediam quandam viam, inter Musicos Canonicos & Harmonicos, ingressus est. Tantum enim rationi attribuit, quantum Pythagoræi: tantum itidem auditui,

auditui, quantum Aristoxenici, si in una eademque re, ratio scilicet & sensus conspirarent. Tum enim iudicium sincerum & verax nasci putavit, ubi sensus & ratio conspiratu niterentur consono. Econtrario nihil sensui tribuit, ubi ratio adversaretur, nihil itidem rationi, ubi auditui aliter visum esset. Atque hoc modo quasi arbiter datus, controversiam Musicam inter Canonicos & Harmonicos apud plerosque composuit, & finivit. Post Claudium Ptolomæum Pelusium, annis penè quadringentis elapsis, Anitius Manlius Severinus Boethius, vir Patriciae stirpis atque ob id nobilissimus, & Consularis Romæ, Philosophus item & Theologus insignis, quæ passim apud Græcos autores de Musica sparsa erant, collegit, & in latina lingua ad posteros propagavit. Quo suo opere, extinctis Barbarorum populorum in Italiam irruptione bonis artibus & linguis, Musicae artis scientia, utcumque conservata est, & ut hoc nostro seculo, cum aliis artibus, ex profundissima barbarie emergentibus, efflorescere posset, magnoperè adjuta fuit. De alijs qui post Boethium floruerunt Musicis, non necesse est, ut hoc loco prolixius instituatur sermo. Nihil enim novi in proportionibus Musicis invenerunt, vel addiderunt. Hoc tantum monendum, quod ante du-

centos

centos circiter annos, cum Musica, quam figuralem vocamus, per Pneumatica illa instrumenta in templis usitata, organa vocant, excoli cœpisset, Ditonus & Semiditonus, sexta item minor & major in numerum consonantiarum recepta, & Harmonijs Musicis inserta fuerunt. Sed tamen nemo fuit, qui veram & legitimam intervallorum non solum consonorum istorum, sed etiam aliorum, Proportionem investigare potuerit, donec nostra memoria, Iosephus Zarlinus Clodiensis Italus chori Musici apud Duces Venetos Magister, secutus veros & certissimos intervallorum Musicorum iudices, sensum videlicet & rationem, adhibita regula Harmonica, quæ est divisio intervallorum medio Harmonico formam novarum istarum consonantiarum, & multorum aliorum intervallorum, in veris & iustis proportionibus inveniret. ut audiamus in ipsis Theorematis Musicis.

Pergamus ad alia. Dicendum enim etiam est aliquid *De generibus Harmoniarum, de Modis, Clavibus, vocibus Musicalibus, Item de notulis, & de Musica figurata.*

Genus Harmoniæ est certa dispositio intervallorum minorum in diatessaron. Veteres enim,

res enim, ut supra diximus; cum diateffaron putarent omnium minimam consonantiam, iuxta eam deductiones sonorum in intervallis minoribus instituebant. Intervalla minora quam Diateffaron, referente Euclide in suo introductorio, sunt: Ditonus, Semiditonus, Tonus, Semitonium majus, Semitonium minus & *Dieze*. In Diateffaron igitur, in quolibet Harmoniarum genere, tria ex his intervalla ponebant, quatuor chordis comprehensa, ob quarum numerum hujusmodi intervallorum dispositio in Diateffaron Tetrachordum appellabatur, & sonus gradatim à gravissima sive prima chorda ad quartam usq; intendebatur & elevabatur. Veteres autem, qui simpliciorum Musicam amabant, ante Pythagoram, & post eum, ad nostra usq; secula, in tetrachordis constituendis, ita disponebant intervalla minora: ut inter primam & secundam chordam inveniretur Semitonium minus, inter secundam & tertiam tonus, & inter tertiam & quartam itidem tonus. Huiusmodi sonorum distributio in tetrachordo quolibet vocabatur Diatonicum Harmoniæ genus, propterea quod per tonos incederet.

Verum quis primus hujus dispositionis auctor fuerit ignoratur. Primam & vetustissimam esse facile apparet. Cum absque hac nullus
omnino

omnino Musices usus esse possit. Convenit autem propemodum, si ad nostram Musicam respicias, hæc sonorum distributio, ad tertiam speciem intervalli Diatessaron, quæ in vocibus Musicalibus per Mi La effertur.

Secundum Harmoniæ genus vocatur Chromaticum. Tertium vero Enharmonicum. Et Chromaticum quidem duo semitonia recipiebat. Majus scilicet & Minus, & tertio loco semiditonnium. Inter primam enim chordam & secundam semitonium minus, ut in Diatonico inveniebatur, inter secundam vero & tertiam Semitonium Majus, & inter tertiam & quartam $\tau\upsilon\mu\mu\tau\acute{o}\nu\iota\omicron\upsilon\sigma$ sive Semiditonus, quem vocabant Incompositum, propterea, quod non reciperet medium sonum, qui Semiditonnium divideret in Semitonium & tonum, ut alias fieri consuevit, & antea factum erat in Diatonico genere inter primam secundam & tertiam chordam, sed quod simpliciter contineretur in duabus chordis. Si ad nostram Musicam respicias, convenit Chromaticum genus penecum ijs sonis, qui gignuntur ex clave a. usque ad clavem d. Nam à clave a. usq; ad b. rotundum habetur Semitonium, à b rotundo usque ad \square quadratum, itidem Semitonium, & à \square quadrato, usq; ad clavem d. omissa clave C.

G 2. Semi

Semiditonus. Chromaticum hoc genus invenit Timotheus Milesius Lyricus, ut testatur Aristoteles & Boethius. Aristoteles quidem 2. Metaph. cap. 2. ubi affirmat Musicam suo tempore tot variationes recipere non potuisse, nisi fuisset Timotheus. Clarius Boethius in Proemio Musices, cum ait:

Spartiatas idcirco Timotheo Milesio succensuisse, quod multiplicem Musicam reddens, puerorum animis, quos erudiendos acceperat, officeret, & à virtutum modestia praevideret, & quod Harmoniam, quam modestam susceperat, in genus Chromaticam, quod mollius est, invertisset.

Vixit hic Timotheus tempore Euripidis Poetae Tragici, ferè quinquaginta annis ante Aristotelem. Suidas etiam meminit hujus Timothei, sed alio in loco confundit eum cum Timotheo tibicine, Alexandri Magni Musico, cum diversi fuerint, ut temporis intervallum ostendit.

De Enharmonici generis inventione ita scribit Plutarchus in libello, quem inscripsit de Musica:

Olympius, ut est Aristoxenus autor, existimatur à Musicis Enharmonici generis inventor fuisse. Quippe ante eum omnia Diatona & Chrom.

Chromatica fuerunt. Inventum autem hoc
 modo. Cum versaretur in Diatonico Olym-
 pus, modumq; subinde in Diatonon Parhypo-
 ten, nunc à Paramese, nunc à Mese traiceret,
 ac transiliret Diatonon Lichanon, elegantiam
 animadvertit eius affectu. Itaq; cum conte-
 xtum ex convenientia conflatum obstupisset
 atq; probasset, hoc genus Tono Dorio inseruit.
 Haecenus Plutarchus. Quis vero Olympus
 fuerit, non satis constat ex historijs. Nam
 quendam Olympum, Marsiæ Musici discipu-
 lum fuisse satis liquet. Sed cum idem ante bel-
 lum Trojanum floruerit, Enharmonici generis
 inventor esse non potuit. Chromaticum enim
 prius Enharmonico fuisse, ex eodem Plutar-
 cho manifestum est, at idem Chromaticum
 à Timotheo Milesio post bellum Trojanum
 annis ultra octingentis inventum est. Alium
 igitur Olympum quendam paucis annis post
 Timotheum illum Musicum vixisse necesse
 est. Erat autem Enharmonicum Harmoniæ
 genus tale, quod progredereetur per duas διέ-
 σεις & Ditonium. Διείσις Enharmonicam ve-
 teres definiverunt quod esset Semitonij mino-
 ris dimidium, ut duæ διείσεις Semitonium mi-
 nus, sive λήμμα complerent. Constitutio
 igitur Enharmonici generis huiusmodi erat,

G §

ut à

ut à prima chorda, usq; ad secundam haberetur *disorie*, à secunda ad tertiam chordam iterum *disorie*, & à tertia usq; ad quartam Ditonus incompositus, videlicet qui non haberet medium, quo divideretur in duos tonos, ut in Diatonico genere à secunda ad quartam chordam factum erat, sed qui unico intervallo absolveretur. Ejusmodi Harmoniæ constitutio valde subtilis & difficilis erat, ideo difficultate sua paulo post abolita est, ut idem Plutarchus, in eodem libello, affirmat cum ait:

Enimvero nostræ ætatis Musici, quod genus præcipua in dignatione erat apud veteres, (Enharmonicum intelligit) id semel repudiaverunt adeo, ut ne minima quidem in re vindicare vulgus intervalla Enharmonica valcat, usq; adeo sunt inertes & socordes, ut omnino disorip Enharmonicam ne representare quidem sub sensum cadentia arbitrentur, exterminentq; eam ex modulantibus, ac pro negatoribus habeant illos, qui aliquam de ea opinionem habuerunt, & hoc genus usurpaverunt. Hæc de generibus Harmoniarum.

Modos Musicos, sive Tonos ut vocant, quis invenerit, ex veteribus non constat, imo propemodum ignoratur, quales fuerint veterum Modi. Nemo enim fuit, qui eos à propria
diffic-

differentia, quæ est dispositio semitoniorum in qualibet specie Diapason definiret, usq; ad Claudium Ptolomæum & postea Boethium. Quanquam neq; apud hos etiam semitoniorum collocatio in qualibet Diapason specie aperte indicatur, sed qualis esse possit vel debeat conjectura potius & ex antecedentibus positis (si modo ea etiam recte intelliguntur) colligitur: ut ita non nihil relinquatur, de quo in hac doctrina dubitari possit. Primus autem, qui Modos Musicos ex Boethio hoc nostro seculo illustrare conatus est, fuit Franchinus Gaforus Laudensis Brixia in Italia Musicae Professor, ante annos ferè centum elapsos. Hunc secutus est Henricus Glareanus Helvetius, qui duodecim Modos in nostra Musica haberi & inveniri, firmissimis rationibus in opere suo Musico, quod Dodecachordum, anno quadragesimo septimo super millesimum & quingentesimum inscripsit, demonstravit.

Quod ad claves attinet, eæ inventæ sunt à Guidone Aretino, ut & voces Musicales, ut postea dicemus. Pro utraq; re veteres usurpabant chordas, unde vulgata illa vocabula Trichordum, Tetrachordum, Pentachordum, & cætera, quod tres vel quatuor vel quinq; haberent claves sive chordas. Ut autem res me-

lius intelligatur, chordas veterum secundum nostram Musicam clavibus, quibus conveniunt, appellabimus, Nomina vero chordarum apud veteres, si omnes claves, quibus usi fuerunt, collegerimus, addemus.

Mercurius itaq; tetrachordum invenit, ut supra monuimus, certo modo dispositum, ut Diapason, Diapente, & Diatessaron consonantias comprehenderet. Infima igitur chorda hujus tetrachordi conveniet nostræ clavi E majori. Secunda ascendendo clavi a. Tertia \sharp quadrato, & quarta clavi e. minori. Claves appello majores vel minores, ut in scala vulgo appellari solent. Hoc modo enim clavis E ad e. habebit Diapason. Idem E ad \sharp quadratum ascendendo Diapente, & rursus E ad a. Diatessaron. Ex consequentibus autem clavibus, & ex ordinatione tetrachordorum asserimus, hanc speciem intervalli Diapason, in tetrachordo Mercurij, collocatam fuisse, alias extra hanc considerationem, quælibet Diapason species ad quatuor istas chordas applicari potuit, excepta quarta & septima, si primam ex clave C. constituas. Quintam chordam sive clavem addidit, ut Boethius affirmat, Chorebus Lydorum rex. Sextam Hyagnis Phryx, Ambo hi, ante bellum Trojanum floruerunt.

Septi-

Septimam verò Terpander Lesbicus, qui quingentis ferè annis post captam Trojam vixit, de qua re tamen dubitatur, ut supra etiam monuimus. Has septem claves distribuerunt in duo tetrachorda, ita ut media clavis ex hisce septem communis esset utriq; tetrachordo, ut eadem videlicet clavis in priori tetrachordo esset quarta, sive suprema clavis, in posteriori verò prima vel infima. Hoc posterius tetrachordum vocaverunt *συνκλισίον*, id est, conjunctarum scilicet clavium, eo, quod prima clavis hujus tetrachordi in unisono, ad præcedentem clavem adderetur. Convenit posterius tetrachordum, si ad nostram Musicam respicias, ad cantum transpositum, sive ut vulgo loquimur, ad cantum mollem. Media enim clavis quæ est a. abest à sequenti ascendendo, per semitonium, ut videre est in hisce clavibus: E. F. G. a. b. c. d. A clave E igitur ad clavem a. habetur prius tetrachordum, & ab a. ad d. habetur posterius. Hoc modo hæ septem claves in Diatonico Harmoniæ genere inventæ & distributæ fuerunt. Octavam clavem invenit Lichaon ex Samo oriundus, illamq; eo loco in tetrachordis inseruit, ut amborum tetrachordorum ratio integra servaretur. Mediam enim eam fecit, inter illa, ut hac clave integro tono ab invicem

subtudo

G s

cem

etiam segregarentur, unde tetrachordum posteriorius, quod $\sigma\omega\kappa\mu\mu\lambda\iota\omega\mu$ conjunctarum clavium vocatum erat, appellari coepit. $\delta\iota\epsilon\lambda\theta\gamma\mu\lambda\iota\omega\mu$, hoc est disiunctarum, eo quod prima eius clavis à precedenti inferiore integro tono disiungeretur. Claves igitur octo hæ sunt: E. F. G. a. \flat . c. d. e. & prius tetrachordum ab E. usq; ad a. ut antea manet, alterum vero nõ à clave a. rursus incipit, sed à \flat quadrato, & ad clavem e. usq; porrigitur, atq; ita integro Tono, ab a. scilicet ad \flat quadratum hæc duo tetrachorda disiunguntur.

Nonam clavem quidam Prophrastus nomine inferiore loco addidit, eaque nobis est clavis D. sed in nullo tetrachordo tum comprehendebatur. Decimam Hiesteus Colophonius invenit. Undecimam vero Timotheus Milesius, is qui Chromaticum Harmoniæ genus excogitavit. Omnes hæ claves assumptæ fuerunt inferiore loco, & simul coaptatæ in unum tetrachordum, quod fuit appellatum tetrachordum $\upsilon\pi\alpha\tau\omega\mu$, hoc est, gravium, dignitate præcellentium & honorabiliorum. Græci enim Iovem nuncupant $\upsilon\pi\alpha\tau\omicron\upsilon$, ut & Consulem Romanum, propter excellentiam dignitatis. Claves igitur omnes undecim numero sunt hæ: \flat . C. D. E. F. G. a. \flat . c. d. e. à \flat quadrato inferiori & majori incipit tetrachordum

chordum ὑπατῶν, desinitq; in clave E majori. In eadem clave E rursus incipit secundum tetrachordum, vocaturq; μεσῶν, quod medio loco inter duo tetrachorda collocaretur, & pertingit usq; ad clavem a. ulterius à \square quadrato incipit tertium tetrachordum διεζῶν γυλιῶν & finitur in clavi minori e.

Iam videbatur Musica, quo ad profunditatem sive gravitatem satis habere clavium, sed deficiebat in acutis vocibus. Vox humana enim has claves excedere poterat. Ideoq; ut perfectior Musica esset, statim post Timotheū Milesium adjectū fuit adhuc unū tetrachordū superiori loco, quod quia acumine reliqua transcendebat, tetrachordū ὑπερβολαίων nuncupatū fuit, incipiebatq; ubi tertium illud tetrachordū διεζῶν γυλιῶν desinebat in clavi e. & comprehendens sequentes ascendentes claves, f. g. finiebatur in clave a a. geminata. Habebat ita veterum Musica quatuordecim chordas, sed eæ tamen διεξ δια τῶσῶν quæ veteribus fuit perfectissima consonantia & omnium in sonis maxima distantia, utpote proverbio inde ducto celebris, non complebant. Ne igitur in hac re veterum Musicae aliquid deficeret, assumpta est ultimo loco infima clavis A. quæ extra ulla tetrachorda usurparetur, & fundamentum quasi reliquarum sustineret. Hoc modo

modo tantum in quindecim clavibus perfec-
runt veteres suam Musicam, & in quatuor hi-
sce tetrachordis modulabantur in Diatonico
Harmoniaē genere cantum regularem, sive ut
vulgo loquimur, cantum durum. Quod si li-
beret in cantum mollem sive transpositum
transcendere, assumebant tetrachordum $\sigma\upsilon\upsilon\mu\mu\lambda\acute{\iota}\omega\upsilon$,
 $\nu\eta\mu\mu\lambda\acute{\iota}\omega\upsilon$, de quo supra diximus, copulabantq;
cum clave a. ubi tetrachordum $\mu\epsilon\sigma\omega\upsilon$ finitur.
Nec enim prorsus diversa fuerunt tetrachor-
dum $\sigma\upsilon\upsilon\eta\mu\mu\lambda\acute{\iota}\omega\upsilon$ & $\delta\iota\epsilon\zeta\delta\upsilon\gamma\mu\lambda\acute{\iota}\omega\upsilon$, sed tan-
tum in duabus clavibus, in b videlicet rotun-
do & \square quadrato. Quod enim ad reliquas du-
as ad c & d attinet, erant ea communes utri-
que tetrachordo, diverso tantum nomine ap-
pellabantur, in tetrachordo enim $\sigma\upsilon\upsilon\eta\mu\mu\lambda\acute{\iota}\omega\upsilon$
incidebant hae claves in tertiam & quartam
chordam, in $\delta\iota\epsilon\zeta\delta\upsilon\gamma\mu\lambda\acute{\iota}\omega\upsilon$ vero in secundam
& tertiam, ut conferenti ambo tetrachorda
facile apparet.

Quod ad appellationem clavium apud ve-
teres attinet, studiosus Musices observet, non
eadem facilitate claves apud veteres nominari
potuisse, ut apud nos nostrae claves proferun-
tur. Apud nos enim singulae singulis literis
vocantur: apud veteres ad singulas claves no-
minandas, non tantum non singulae literae, sed
nec

nec singulae quidem dictiones sufficiebant. Sed opus erat ipsis binis dictionibus, ut simul tetrachordi, quo clavis illa comprehendebatur, mentio fieri posset. Et cum nos tantum septem claves numeremus, reliquas vero per octavas repetamus, illi singulis quotquot habuerunt, singulas appellationes indiderunt, nec ad octavas respectum ullum habuerunt. Quindecim igitur suas claves ita proferebant, ut infima & gravissima, quam A magnum appellamus, ipsis esset προσλαμβανόμενον sive προμέλον, propterea quod in tetrachordis non comprehensa, exteriori loco assumeretur, & tetrachordis adjungeretur. Post hanc clavem ascendendo sequitur tetrachordum ὑπατῶν, quod comprehendit claves ♯ quadratum. C. D. E. Prima huius tetrachordi clavis ♯ quadratum appellabatur ὑπάτη ὑπατῶν. Secunda C. παρυπάτη ὑπατῶν. Tertia D. λιχαιός ὑπατῶν. Quarta clavis E. in hoc tetrachordo erat simul prima clavis sequentis tetrachordi μεσῶν, quod comprehendebat claves E. F. G. a. ideo hujus potius tetrachordi, quam præcedentis nomine vocabatur ὑπάτη μεσῶν. Secunda huius tetrachordi clavis F. appellabatur παρυπάτη μεσῶν. Tertia G. λιχαιός μεσῶν. Quarta vero a. μέση. Iam si in cantum transpositum transirent, & tetrachor-

tetrachordum σωκκλιών assumerent, quod
 claves habebat a. b. rotundum. c. d. tunc a.
 clavis nomen suum μέση retinebat. b. vero
 appellabatur τρίτη σωκκλιών. c. παρανήτη
 σωκκλιών. Et d. νήτη σωκκλιών. Si vero
 omisso hoc tetrachordo in cantu duro perge-
 rent, & tetrachordū διεζυγμένων ordirentur,
 quod habebat claves ♯ quadratū, c. d. e. tum ♯
 quadratum vocabatur παραμέση quod prope
 μέση, hoc est, prope clavem a. collocaretur.
 c. vero τρίτη διεζυγμένων, d. παρανήτη διεζυ-
 γμένων & e. νήτη διεζυγμένων. Restabat ulti-
 mū tetrachordum, quod fuit, ut dixim⁹ ὑπερ-
 βολαίων & claves cōprehendit e. f. g. aa. gemi-
 natā. Clavis e igitur, quæ fuit etiam in præce-
 denti tetrachordo nomen suū non mutabat. f.
 vero appellabatur τρίτη ὑπερβολαίων. g. παρα-
 νήτη ὑπερβολαίων & suprema clavis a. νήτη
 ὑπερβολαίων. Hæc sunt clavium sive chor-
 dorum apud veteres nomina. Porro voces
 Musicales, vulgatas scilicet has sex: Ut, re,
 mi, fa, sol, la, quibus si incipientes in arte Mu-
 sica assueverint, facilius sonum in determina-
 ta intervalla deflectere certiusq; ea dignosce-
 re, & celerius mutare possunt, veteres non ha-
 buerunt. Sed certa signa, ex lineis vel rectis,
 vel obliquis, vel incurvis, ex angulis item ob-
 tusis vel acutis ad formam fere literarum Græ-
 carum

earum efformata, excogitarunt, ut indices essent chordarum, atq; ita sonorum vel ascendentium vel descendentium, ea signa supra dictiones scripserunt, infra dictiones vero alia signa in diversis figuris, quibus tempus percussionis sive tactum indicarent. Priora sive superna signa recenset Boethius lib. 4. Musicæ cap. 3. inferiora interciderunt. Neq; tamen etiam superna Boethius annotat omnia, sed tantum quæ in Lydio Modo usurpabantur, Numero viginti novem, tot enim in singulis modis, si tria genera Harmoniarum, Diatonicum, Chromaticum & Enharmonicum miscerentur, requirebantur. Nec eadem permanebant, sed in singulis modis nova signa assumebantur. Propterea quod etiam si clavium sive chordarum nomina in Modis retinerentur, ut videlicet ultima clavis cujusque Modi *πρὸς λαμβανόμενον* nuncuparetur, secunda *ὑπάτη ὑπατῶν* atq; ita ordine deinceps. Potestate tamen plurimum mutabantur propter multiplicem Semitonij in singulis modis variationem. Exempli gratia: Si in uno aliquo modo in infima chorda in *πρὸς λαμβανόμενον* cecinisses vocem Musicalem, ut: in alio modo canendum erat, re, in alio item, mi. & sic deinceps, ratione positus Semitonij, atq; hoc modo in omnibus clavibus,

in sin,

in singulis modis ratio sonorum mutabatur, unde penè infinita clavium varietas & multiplex sonorum confusio oriebatur. Ideo non poterat, qui modum aliquem, Lydium puta, modulari posset, alios item, ut Ionicum, Dorianum, Phrygium, Æolium, Mixolydium, vel alios etiam accinere, cum ubiq; nova signa, in alijs atq; alijs modis inusitata occurrerent, sed si in omnibus duodecim modis excellere cuperet, ultra trecenta diversissima signa superna ipsi addiscenda erant, ut calculus Arithmeticus ostendit. Præter has difficultates accedere etiam hoc videtur, quod signa percussionis, ut vocat ea Boethius, sive tactus, quæ infra dictiones scribebantur, non tantum diversarum potestatum fuisse videntur, in duratione sonorum continuandorum, vel omit-tendorum indicanda: sed etiam vim suam in superiora signa exeruisse, ijsq; vel perfectionem, vel imperfectionem, vel alia ejusmodi accidentia attribuisse. Ab ijs enim signis derivati videntur characteres illi, qui apud nostros Musicos antiquiores in figurali Musica inveniuntur. Puta signa illa perfectionis & imperfectionis, Modi majoris vel minoris, Prolationis perfectæ vel imperfectæ. Puncti item divisionis, alterationis, augmentationis, &c. & aliarum rerum, unde apparet signa
etiam

etiam illa veterum inferna, multivaria & diversissima fuisse, & plurimum laboris requisitum fuisse ab eo, qui & hæc signa inferiora cognoscere vellet. Has immensas difficultates veteris Musicæ, non temerè fingi, sed ex certis veterum Musicorum verbis aperte describi, veterum monumenta abunde testantur.

Non dubium autem est, plurimos summi ingenij viros magna diligentia conatos fuisse, faciliori modo & ratione res Musicas posteris tradere, & veteris Musicæ difficultatibus mederi: Verum nullius conatui eventus respondere voluit, donec frequenti & quotidiano usu Musica seipsam ex hisce difficultatibus expediret. Quod accidit, cum in primitiva Ecclesia passim cœnobia instituerentur, & quotidianus in ijs Musicæ usus introduceretur. Hoc modo enim paulatim aliæ atq; aliæ difficultates amotæ sunt, & facilior totius Musicæ forma excogitata. Primus autem qui nova Methodo & novis inventis characteribus Musicam tradere & exercere ausus fuit, est Iohannes Damascenus Theologus, qui prius scriba Imperatoris fuerat, postea factus est Monachus Damasci, circa annum post Christum natum 725. Is referente Iosepho Zarlino excogitavit quosdam Characteres novos, numero pau-

H

ro pau.

ro paucos & faciles, quibus quælibet cantilena scriberetur & caneretur ijs characteribus intervalla exprimebantur, quibus vel ascendendum vel descendendum erat in canendo. Temporis autem nulla habebatur ratio, utpote in cantu, ut vocamus choralis, qui tum solus in Ecclesia locum habebat. Cum igitur intervalla Musica pauca sint, paucos etiam characteres fuisse necesse est, nisi quod duorum generum fuerunt, quorum priorum usus fuit in vocis elevatione, posteriorum vero in vocis remissione, aliter enim scribebatur intervallum aliquod, quando in graviolem sonum per illud descendebatur: aliter vero idem intervallum, quando in acutiorem sonum vox elevabatur. Ratio hæc cantilenas scribendi, non absimilis fuit ab ea, qua hodie utuntur, qui instrumenta Musica propriè sic dicta, clavichordia item & organa tractant. Ij enim cantilenas describunt clavibus, quibus ascensus vel descensus cantilenæ significatur. Apponunt & præterea quædam signa, quibus continuatio vel intermissio soni, sive tempus in Musica figurata indicatur, nisi quod claves eadem & in ascensu & descensu cantilenæ permanent, & propter vocum Musicalium usum, quibus omnes iam assuevimus, diversæ intervallorum species facilius discerni possunt. In Damasceni autem
chara.

characteribus, cum unicus tantum character
 ad intervallum aliquod, cujus in vocis eleva-
 tione vel depressione usus esset, describendum
 adhiberetur, Eodem illo characterē, diversæ
 etiam illius intervalli species, quæ propter ali-
 um atq; alium semitonij positum mirè vari-
 ant, indicari non poterant, unde diversa & du-
 bia cantionum modulatio proculdubio orie-
 batur. Semitonij enim positu variato, non
 tantum unumquodq; intervallum mutatur,
 sed etiam tota illius cantilenæ modulatio er-
 rabunda vagatur, & propter mutatas τὸ δία
 τὸ εὔτε & τὸ δία τεωάρεω species, ad alios atq;
 alios Modos subinde detorquetur. Hocq; ita
 accidisse Historiarum monumenta satis osten-
 dunt, ut exempli gratia, quod tempore Caroli
 Magni, paucorum annorum spacio aliquoties
 Ecclesiastici cantus in Ecclesia Metensi emen-
 dati, & ad authoritatem Romani cantus re-
 vocati sunt. Cum enim diversimodè in Italia
 atq; Gallia cantiones Ecclesiasticas modula-
 rentur quas tamen Pipinus, Francorum sive
 Galliæ rex, parens Caroli Magni, Anno post
 Christum natum 751. rectè a Romanis de-
 scribi, & in Ecclesia Metensi atq; Gallia doce-
 ri & exerceri iusserat) offensus illa dissonan-
 tia Carolus, clericos duos Romam misit, qui
 authenticum cantum ibi à Romanis disce-

H a rent,

rent, & Gallos docerent. Verum cum iterum post annos sedecim, in psallendo & legendo à consuetudine Romana variatum esset, Pontifex Romanus Adrianus, missis cantoribus eam etiam dissonantiam in Gallijs correxit. Prior emendatio contigit anno post Christum natum 774. posterior vero anno 790.

Etsi autem Iohannes Damascenus propter hanc inventionem eam auctoritatem sibi comparavit, ut non solum omnibus Musicis præferretur, sed etiam ob pietatem, & eximiam in Musicis peritiam ipsi mæretur, ut cantilenas, quas decretum in Christianorum Ecclesijs cani iuberet, ipse melodijs comprehendere, præscriberet, & alios doceret, unde κατ' ἄρχῆν, Melodos sive cantor appellatus fuit: tamen cum certitudo penitus nulla in illis inventis characteribus statui posset, post aliquot annos à Guidone Aretino Italo, claves & voces Musicales, quibus adhuc utimur excogitatae sunt. Vixit is sub Imperatoribus Germanicis, Conrado secundo, & Henrico tertio, circa annum post Christum natum 1030. Occasionem autem inventarum clavium & vocum Musicalium proculdubio ipsi præbuerunt instrumenta Musica, stabiles, determinatos & certos sonos exprimentia, tum temporis vel primū inventa, vel à Græcis ad Latinos translata.

lata. Aventinus enim & alij Historici tradunt, Pipino Francorum regi per legatos ab Imperatore Orientis Constantino Copronymo instrumentum Musicum maximum, Germanis & Gallis incognitum dono datum fuisse, quod cicutis ex albo plumbo compactum fuerit, follibus inflatum, manuum digitis pedibusq; pulsatum, & organon appellatum. Quanquam quod pedibus etiam tum temporis pulsatum fuerit, vix verisimile videtur. Cum circa annum à Christo nato 1470. ea ratio demum apud Venetos à Bernhardo, natione Germano, & Venetorum duci ab organis, inventa credatur, teste Sabellico lib. 8. Enead. 10. Scribit enim ibidem, hunc Bernhardum adeo excellentem Musicum fuisse, ut numinis providentia ad id natus putaretur, ut unus esset, in quo ars pulcherrima Musica omnes suas vires experiretur. Vocem ipsi ad omnes numeros & sonos accommodatam fuisse affirmat, omnia instrumenta Musica illum scientissime tractasse, numeros etiam ac sonos in organis auxisse, utque pedes etiam concentum Musicum adjuvare possent, funicularum attractu effecisse. Quod autem Aventinus & alij Historici tradunt, organon tum temporis à Græcis primum ad Gallos translatum, ipsisq; instrumentum incognitum fuisse,

H 3

fuisse,

fuisse, dubitare quis merito posset, cum Platina in vitis Pontificum referat, trecentis ante Pipinum Galliae regem annis, à Pontifice Vitaliano organa in templa recepta, & ad consonantias cantui Ecclesiastico inferendas accommodata fuisse, quod & Beda Presbyter paucis post annis confirmat. Verum Platina & Beda vel loquuntur de informi illo instrumento Musico, cujus quindecim cicuta vento ex duodecim fabrorum sufflatorijs emisso, inflabatur, quale Hierosolymis fuisse à D. Hieronymo affirmatur, cujus sonitus in monte etiam oliveti, tanquam tonitru exaudiebatur: Vel loquuntur de instrumento Musico Hydraulico, cujus proluxa descriptio extat apud Vitruvium, lib, 10. Architect cap. 13. quod & antiquissimum est, & peculiari nomine organon appellatum fuit. Discrimen autem, ut hoc obiter addam, inter Hydraulicum & nostrum organum, cum forma externa non magnopere differre videantur, fuit: Quod totum corpus Hydraulici unà cum cicutis ex ære fieret, cicutarum ordo unicus tantum esset, & sonus ob infusam aquam diversimode agitatum, proferretur. Organi vero nostri corpus ex ligno compingitur, factis receptaculis plurimorum ordinum cicutarum, & sonus ipse flatu ex follibus recepto perficitur.

EUR.

rur. Corpus organi appello, arcam illam cui
 cicutæ insistant, & ex qua flatum recipiunt.
 Atq; hoc modo unicum etiam organum ho-
 die interdum pluribus constat corporibus,
 Quorum aliud possit vocari anticum, aliud
 posticum, aliud pectorale, aliud laterale, aliud
 pedale, & similiter. Cicutarum etiam ordi-
 nes plurimum inter se differunt, dum alij con-
 sonant in unisono, si ad unam clavem respici-
 as, alij in Diapason inferiore vel superiore,
 quidam in Disdiapason, quidam in diapente,
 quidam in ditono, &c. Quidam etiam ordi-
 nes dupli sunt, ut Cymbalorum, quidam tri-
 pli, quadrupli, item decupli, &c. ut mixtarum.
 Cicutæ ipsæ vel ex stanno puro, vel cum plum-
 bo mixto fiunt, vel ex ære Cyprio, quædam
 cum stannæ sint, os habent Cyprium, quæ-
 dam superius clausæ sunt, plurimæ apertæ,
 quædam non penitus clausæ, quædam incur-
 væ, unde ex omnibus diversissimi gignuntur
 soni, dum aliæ sonum proferunt gravem, aliæ
 acutum, aliæ medium, aliæ cum raucedine
 quadam aut strepitu, vel susurro, aut etiam
 modica dissonantia intersibilante conjunctū,
 aliæ prorsus sibilant, vel tonant, vel frendent,
 vel tremunt. Clavium etiam ordo quibus fla-
 tus cicutis immittitur, interdum duplex est,
 interdum triplex, vel etiam quadruplex, ut

H 4

non

non tantum manuum digitis : sed etiam pedibus tangi, & inter se diversis modis misceri possint, unde infinitæ penè Harmoniæ varietates oriuntur, simplicitati illi Hydraulicæ longè anteferendæ.

Ex tali igitur aliquo instrumento, præcipuè ex organo, ut arbitror, Guido Aretinus, quando sonos determinatos & stabiles, ex cicutis emissos, invicem in Diatonico Harmoniæ genere examinaret, statim deprehendit, post septimam clavem, quando ordine progrediretur, æquisonam haberi consonantiam, quæ Græcis *διὰ πασῶν*, latinis octava appellatur. (Claves hinc in organis & alijs instrumentis Musicis nostro more appello, quæ veteribus plectra sive pectines, dici possent, quibus aut flatus cicutis immittitur, aut aliàs in instrumentis Musicis chordæ tanguntur.) Et claves etiam quæ sequuntur, cum primis non quidem ejusdem intensionis, sed tamen ejusdem naturæ sonos producere, qui nulla alia re inter se differrent, nisi quod per *διὰ πασῶν* ratione acuminis & gravitatis sejungerentur, unde facile animadvertit, claves non plures esse debere quam septem, & easdem in altero clavium septenario, sono per *διὰ πασῶν* vel elevato vel depresso, iterari.

Repudiatis igitur Græcorum prolixis & à
celeri-

celeritate atque promptitudine abhorrentibus chordarum nominibus, primis eas Alphabeti literis, quæ principes occurrunt, appellavit, quæ literæ, cum postmodum voces Musicales adderentur, & ipsæ cantibus in initio præfigerentur, claves appellatæ sunt, quod quemadmodum clavis occlusa refecando aperit, & quæ abstrusa intus erant, palam omnia omnibus aspicienda proponit: ita hæ literæ lineis & characteribus per se mutis præfixæ, eas animant, vivificent & omnem rationem canendi liquido explicent & declarent. Quindecim etiam cum veteribus omnino essent chordæ sive claves, ut supra audivimus, quinque insuper ijs addidit, ut viginti numero claves efficeret, unam quidem inferiori loco, reliquas quatuor superiori. Quemadmodum id in scala Guidonis deprehenditur. Gamma enim inferiori loco accessit, in superiori vero hæ quatuor bb. cc. dd. ee. duplicatæ. Hodie nostro seculo cum figurata Musica adeo exulta sit, ut nihil præterea accedere posse videatur, neque his viginti clavibus contenti sumus, sed præterea septem assumimus, ut omnino in Diatonico Harmoniæ genere, præter Chromaticas illas, quæ aliàs cantilenis inseruntur, viginti septem numerentur claves. Incipiuntque in clave magna C. desinuntque in clave a. geminis

H s virgulis

virgulis notata, non illa, ubi veterum quinde-
cim chordæ finiebantur, sed quæ integra octa-
va ab illa, in acutum est remota. Comprehen-
duntq; hæ septem & viginti claves, excepto
semiditono, integras quatuor octavas, duplum
quam veteres habuerunt, cum clavichordia &
alia instrumenta Musica usq; ad clavem c. tri-
bus virgulis notata ascendant.

Inventio sex vocum Musicalium diffici-
lior fuit. Ex tetrachordis enim veterum qua-
tuor tantum elici potuerunt voces. Sed credi-
bile est, Guidonem Aretinum, in fingendis
vocibus Musicalibus, ad Diatessaron mini-
mam veterum consonantiam, ut putabant,
respexisse, in qua, ex iisdem instrumentorum
Musicorum sonis stabilibus & determinatis
deprehendit, non tantum illam speciem ha-
beri, quæ in singulis veterum tetrachordis
continetur, videlicet quæ semitonium infi-
mo loco habeat, sed ratione dispositionis se-
mitonij duas insuper alias, ut ita tres omnino
τρία τεσσάρων species numerentur. Prima, ubi
semitonium supremum locum: secunda, ubi
medium: tertia, ubi infimum obtineret. Hæ
tres *τρία τεσσάρων* species, ut conjungi possent,
cum invicem sibi succedant, facile animad-
vertit, quatuor voces Musicales non sufficere,
sed plures, & ad minimum sex requiri. Quas
si excogitasset, eventurum prævidit, non mo-

do, ut species $\delta\iota\alpha\ \tau\epsilon\tau\rho\acute{\alpha}\chi\omicron\rho\omicron$ recte continuarentur, sed etiam ut veterum tetrachorda apte connecterentur, & facilis ab alio ad aliud transitus præberetur. Habebatur tum hymnus, factus in honorem Iohannis Baptistæ, qui quoniam Vox clamantis in sacris literis appellabatur, clamantium in cœnobijs, ut tum temporis solebant, atque ita etiam canentium, ex Pontificia superstitione, patronus, Deusq; tutelaris creditus est, & ille ipse hymnus ad vocis raucedinem pellendam adhibitus. Ex huius hymni strophe prima, separando primas Hemistichiorum syllabas, sex voces Musicales desumpsit, & semitonium, ex cuius dispositione omnium intervallorum ratio, atque omnis modulatio & Harmonia dependet, medio & dignissimo loco collocavit. Hymnus sic incipit:

<i>VT queant laxis</i>	<i>REsonare fibris,</i>
<i>MIRA gestorum</i>	<i>FAMuli tuorum,</i>
<i>SOLVE polluti</i>	<i>LABij reatum,</i>
	<i>Sancte Iohannes.</i>

Primæ hemistichiorum syllabæ sunt: *u t, re, mi, fa, sol, la*. Et inter *Vt & fa*, primam speciem $\delta\iota\alpha\ \tau\epsilon\tau\rho\acute{\alpha}\chi\omicron\rho\omicron$ collocavit, ubi semitonium *mi & fa*, esset supremo loco: inter *re & sol*, secundam, ubi semitonium
in me-


in medio haberetur: & inter MI & LA, tertiam, semitonio in infimo loco existente.

Satis quidem convenientes sunt hæ voces Musicales & faciles, si eas cum veterum tetrachordis compares, sed tamen quia integrum intervallum δια τασω̄ non explent, propter frequentem mutationem, ut quæq; vox suæ clavi, cui competit, recte applicetur, incipientibus non parum pariunt difficultatis. Cui etiam ut quidam mederentur, nuper in Belgio novas voces Musicales excogitarunt, numero septem, quæ quoniam integrum δια τασω̄ explent, mutationi obnoxia non sunt, sed quotiescunq; opus est repetuntur, eademq; & in ascendendo, & in descendendo permanent, & propter convenientem semivocalium & mutarum literarum in distributis syllabis consecutionem, ad promptam & expeditam pronunciationem, haud difficulter se offerunt: Sunt autem hæ septem cum octava repetita:

Bo, ce, di, ga, lo, ma, ni, Bo.

Applicantur vero clavibus ratione systemarum. In regulari enim systemate, sive in canru duro, incipiunt in clave C. atq; ita ordine ascendunt, atq; rursus descendunt, ut quælibet clavis suam propriam syllabam habeat, quam
semper

semper tam ascendendo quam descendendo retineat, quousq; etiam cantilena progrediat. Itaq; hoc modo in regulari systemate clavis C. habebit syllabam **BO**, clavis D. syllabam **CE**, clavis E. syllabam **DI**, clavis F. syllabam **GA**, clavis G. **LO**, clavis A. **MA**, & **H** quadratum **NI**, C. rursus **BO**, atq; ita deinceps etiam regrediendo, ut:



bo, ce, di, ga, lo, ma, ni, bo, ce, di, ce, bo, ni, ma, lo, ga, di, ce, bo.


In transposito vero systemate, quod cantum mollem vulgo appellamus, primam syllabam harum vocum Musicalium **BO**, non in clavem C. ut in regulari collocant, sed in clavem F. secundam **CE** in clavem G. tertiam **DI**, in clavem A. quartam **GA**, in **b** rotundum: quintam **LO** in C. Sextam **MA**, in D. & ultimam **NI**, in E. ut:



bo, ce, di, ga, lo, ma, ni, bo, ce, bo, ni, ma, lo, ga, di, ce, bo.

Atq; hoc modo, si puer hisce vocibus Musicalibus assueverit, atq; insuper cantum regularem, & transpositum discernere sciverit, statim

statim sponte sua, in quocunq; notularum situ, sese hæ voces Musicales offerent, cum nihil incidere possit, quod hunc vocum musicalium ordinem magnopere turbet, præterquam si in regulari systemate in Clave \square quadrata, aut in transposito in clave \circ occurrat \flat rotundum, tum enim, quemadmodum in nostris vocibus Musicalibus ibidem semper FA canimus, ita in hisce, pro syllaba NI , quæ utriusque clavi in suo systemate communis est, syllaba PA sumitur, ut in regulari.



Aut in Transposito.



Reliqua Chromata, quæ in cantilenis occurrere solent, voces has musicales non mutant. Monendi tantum sunt pueri, si \times cancellatum occurrat, ut syllabam illam, quæcunque sit, aliquo modo elevent, & durius paululum pronunciando intendant.

Habent præterea hæ voces Musicales alias
commo-

commoditates, ut quod convenientiam regularis & transpositi systematis, & qua ratione invicem transmutari possint, aperte ob oculos ponant. Item, quod species $\delta\iota\alpha\ \omega\alpha\sigma\omega\mu$ omnes, atq; ita etiam species $\delta\iota\alpha\ \tau\epsilon\omega\acute{\sigma}\rho\omega\mu$ & $\delta\iota\alpha\ \omega\acute{\epsilon}\nu\tau\epsilon$ ordine suo naturali ac proprio exhibeant, & Modos, quomodo se aptissime ac nativo ordine, in speciebus $\delta\iota\alpha\ \omega\alpha\sigma\omega\mu$ sequantur, commodissime ostendant, ut conferenti eas cum Modis Musicis & alijs intervallicis facile apparebit.

Restat, ut de inventione notularum etiam, quæ quantitate sua invicem discrepant, quædam moneamus. Notulas enim, quæ valore suo pares sunt, & in choralis cantu adhibentur, persequi non est operæ precium. Cum pro libitu excogitatae sint, & qua forma scribantur, non magnoperè cantilenæ intersit. Notulæ vero, quæ valore impares, & figura diversæ sunt, tantum in figurali cantu usurpantur. Quare prius de cantu figurato, cujus gratia notulæ inventæ sunt, agendum.

Cantus figuratus, qualis apud nos est, ut videlicet duæ, vel tres, vel quatuor, quinque, sex, septem, octo, vel plures voces, in diversa intensione, motu, & tempore progredientes, consonantias misceant, & varias Harmonias efficiant, apud veteres non fuit, argumento est,

eo est, Primum quod veteres nec ditono, nec
 semiditono, atq; ita etiam, nec sexta Maiore,
 nec Minore, sine quibus tamen nulla omnino
 Harmonia, qualis apud nos in figuratis canti-
 lenis habetur, gigni potest, pro consonantibus
 usi fuerint. Secundo, quod in instrumentis
 Musicis veterum, vel chordarum paucitas, vel
 clavium sive plectrorum magnitudo sive di-
 stantia diversas intensiones, & motus plurium
 vocum non admiserit. Tertio, quod præstan-
 tissimi Musici, qui ad diversissimos animi mo-
 tus auditores suos traducere potuerunt, à Poe-
 tis, Historicis, & alijs autoribus introducantur
 soli, ad instrumentum aliquod Musicum
 voce tantum modulantes. Et Quarto, quod
 nullum exemplum figuratæ cantilenæ apud
 veteres extet: imò ne mentio quidem eius
 fiat, atq; ita, ut dici solet, nec vola, nec vesti-
 gium figurati cantus apud veteres appareat.
 Quemadmodum hæc omnia, si opus esset, la-
 tius demonstrari possent. Cecinerunt quidem
 veteres in, sive cum Harmonia, ut ex autori-
 bus manifestum est, sed qualis illa Harmonia
 fuerit, etsi fortassis non inconvenienter de-
 scribi posset: tamen nisi id liquido demon-
 stratur, & ex firmis autorum testimonijs de-
 ducatur, quod brevibus fieri non potest, in
 tanta judiciorum diversitate, hoc loco asseve-
 rare

rare periculosum arbitror. Omissa igitur veterum Musica Harmonica, quando nostra inventa sit, paululum disquiramus.

Organa igitur, sive alia instrumenta Musica, quæ nobis claves & voces Musicales pepererunt, procul dubio etiam principia figuratæ Musicæ monstraverunt. Etsi enim in instrumento Musico Hydraulico, quotidiano usu artifices edocti, præter consonantias usitatas, Octavam scilicet, quartam & quintam, alteram etiam vocem ad choralem cantum addere ausi fuerunt, ut meminit Beda Presbyter, quando affirmat, suo tempore Musicam exercitatum fuisse in templis **Concentu**, **Discantu**, atq; **Organis**, ubi per concentum consonantias insertas, per Discantum vero secundum cantum, sive aliam vocem choralis in Organis additam intelligere videtur: tamen cum diversitas in notularum quantitate nulla esset, nec ratio clausularum inventa, nec tactuum proportio, atq; ita nulla varietas in Harmonia fieri posset, nullam gratiam ea res habuit, nec digna visa fuit, ut ratio illarum consonantiarum ac Harmoniæ ab autoribus illius temporis, præceptis comprehenderetur. Ideo etiam Guido Aretinus, Musicus per totam Europam celeberrimus, ac princeps, cum omnia, quæ elegantem in Musica

I

usum

usum habere videbantur, præceptis conformata, posteris traderet, hujusmodi Harmoniam improbavit, rejecit, & fatuos ejus cultores, ac sectatores vocavit. Verum cum claves & voces Musicales inventæ essent, Mensurabilis hujs Musicæ usus, ut tum vocabant, paulatim excultus est. Homines enim ingeniosi ex distantia clavium consonantias rectius dijudicaverunt, & qua ratione aliæ in alias commode transirent, & in clausulis coirent, quotidiano in organis periculo facto paulatim deprehenderunt. Inde in frequenti clausularum usu, & ut tædiosam ejusdem soni in singulis consonantijs quantitatem, & similitudinem vitarent, varietatemq; Harmoniæ adderent, & convenientius ex consonantijs in alias atque alias transirent, diversam in notulis quantitatem constituerunt, tempora distinxerunt, & omnia hæc inæqualitate tactuum mirè variarunt. Insuper cum hæc omnia nova & insolita essent, ne statim à quovis arriperentur, usurparentur, vulgarentur, & tandem vulgata in contemptum venirent, & præsertim, ut haberent, quod discipulis proponerent, & ociosi, ut tum temporis solebant, specularerentur, multiplicia signa excogitarunt, & varijs proportionibus usi sunt, quibus & notularum quantitatem variaverunt, & tactus simplicitatem

tatem

tatem multiplicem reddiderunt. Essentialem enim notularum quantitatem hisce signis varijs modis vel auxerunt, vel diminuerunt, & tactum ad omnia proportionum genera conformatum infinitis difficultatibus implicuerunt. Nihilominus tamen semper fuerunt, qui indefesso studio in hac arte posito, eam facultatem consecuti sunt, ut choralis cantui alias in diversis motibus ingredientibus voces addere possent. Id enim tum temporis Musici, cum ex se novas cantilenas gignere non auderent, & alias, quas imitarentur, non haberent, imprimis studuerunt, unde novum hoc cantandi genus, Cantus Floridus appellatum fuit, propterea, quod choralis cantus, harmonia & consonantijs, ceu flosculis exornatus, elegantior redderetur, & quasi effloresceret. Nec fortassis à rigidioribus Musicae iudicibus hoc genus cantandi, in Ecclesia culpatum fuisset, nisi aliqui relicto choralis cantu, novas & auditoribus prorsus ignotas cantilenas ex suo ingenio fingere, & Ecclesijs obtrudere conati fuissent. Eas enim, cum nulla choralis cantus facta imitatione, nec observato certo Harmoniae modo, componerent, celeriori; motu veloces, omissisq; convenientibus clausulis instabiles, & lubricas, & diversis tactibus leves, redderent, easq; non, ut decebat, canerent:

Sed histrionum more varijs & indecoris gestibus agerent & representarent, pontificia auctoritate coërciti & repressi fuerunt.

Constitutio illa extat in Extravagante, lib. 3. cap. Docta Sanctorum. Tit. de vita & honestate Clericorum. Promulgataq; est à Pontifice Iohanne vicefimo secundo, capulari sene, circa annū post Christum natum 1320. Qui cum prius utilitates, quas Musica in Ecclesijs exercitata, habet maximas, recensuisset, Figuratam prohibet his verbis:

Sed nonnulli novella schola discipuli, dum temporibus mensurandis invigilant: novis notis intendunt, fingere suas, quam antiquas cantare malunt. In semibreves & minimas Ecclesiastica cantantur, notulis percutiuntur. Nam Melodias hoquetis (pausas videtur intelligere) intersecant, discantibus lubricant, triplis & motetis vulgarib. nonnunquam inculcant, adeo ut interdū Antiphonarij & Gradualis fundamenta despiciant, ignorent super quo edificant, Tonos nesciant, quos non discernunt, imò confundunt: Cum ex earum multitudine notarum, ascensiones pudice, descensionesq; semperate plani cantus, quibus Toni ipsi discernantur, ab invicem obfuscentur. Currunt enim

enim non quiescunt, aures inebriant, & non
 medentur: gestibus simulant, quod depromunt
 quibus devotio quarendam contemnitur, vitan-
 da lascivia pro palatur. Hoc ideo dudum nos
 & fratres nostri correctione indigere percepimus,
 hac relegare, imo prorsus abicere, & ab
 eadem Ecclesia Dei profligare, efficacius pro-
 peramus. Quocirca de ipsorum fratrum con-
 silio districtè precipimus, ut nullus deinceps
 talia, vel his similia, in dictis officijs, præser-
 tim horis canonicis, vel cum Missarum solen-
 nia celebrantur, attentare presumat. Si quis
 verò contra fecerit, ab ordinarijs locorum isto-
 rum per suspensionem ab officio, per octo dies,
 autoritate huius canonis puniatur. Per hoc au-
 tem non intendimus prohibere, quin interdum
 diebus festis præcipuè, sive solennibus in Mis-
 sis, & præfatis divinis officijs, aliqua conse-
 nantia quæ melodiam sapiunt, puta octava,
 quinta, quarta, & huiusmodi supra cantum
 Ecclesiasticum simplicem proferantur. Sic ta-
 men, ut ipsius cantus integritas illibata per-
 maneat, & nihil ex hoc de benè morata Mu-
 sica immutetur, maximè cum huiusmodi con-
 sonantia auditum demulceant, devotionem

provocent, & psallentium Deo animos torpere non sinant. Haftenus Pontifex.

Hanc constitutionem, utile est, extare non tam quod figuratam Musicam in templis prohibet, usu enim eam abrogatam fuisse, historiae & experientia satis ostendunt, quam quod qualis illo seculo Musica fuerit, luculenter describit. Novam enim illam & nuper inventam satis arguit. Cum ejus autores appellet discipulos novellae scholae, qui novis notis intendant. Deinde etiam, inexcultam, rudem & imperfectam. Et quidem primo. Quod Musici illius seculi in diminutione notularum, tantum ad semibreves & minimas pervenerint, semiminimas vero, fusas & semifusas prorsus ignoraverint, quas si habuissent, procul dubio Pontifex nominasset, utpote invidiae propiores. Secundo, quod Modos non observaverint, nec Harmoniam vel ad Antiphona, vel Gradualia cantica direxerint, sed omnia progressionibus insolitis, vel in acumen, vel ad profunditatem directis deformaverint. Tertio, quod clausulis cantilenas distinguere non noverint, nunquam quieverint, sed in perpetuo cursu cantum absolverint. Et Quarto, quod convenientibus clausulis, & commoda consonantiarum mixtarum consecutione, Harmoniam ad affectus inflectere non potuerint:

Sed

Sed illos gestibus simulare, & auditoribus inferere conati fuerint, quod valde deforme fuisse, ex Franchino etiam apparet. Falluntur ergo ij, qui ante hunc canonem, Musicam figuratam non minus floruisse arbitrantur, atque hodie, eamq; hoc canone ex Ecclesia, atq; ex hominum conventibus extrusam, atq; ita obliteratam fuisse. Nec enim severitas poenæ, qua usus Musicae interdicebatur, tanta fuit, ut magnoperè esset extimescenda, nec propterea, si Ecclesijs interdicta esset, à scholis etiam, à vita privata, & à conventibus hominum solennibus, exulare iuebatur. Imo potius magis magisq; exculta fuisset: cum natura in vetitū nitamur, & negata desideremus. Quod autem Pontifex addit, se non prohibere, quin interdum consonantiæ, Octavæ scilicet, Quintæ & quartæ super cantum choralem sive Ecclesiasticum proferantur, de eo, quid sibi velit, cuiq; conjecturam facere licet, mihi videtur Musicam veteribus planè contrariam etiam tum temporis, ut hodie, introductam fuisse. Veteres enim cantabant, in, sive ad Harmoniam, hoc est, ut Harmonia sive consonantiæ fundamentum essent cantilenæ, quæ accinebatur: Hic si tantum aliquo modo latinè loquitur Pontifex, choralem cantum fundamentum facit consonantiarum addendarum,

unde procul dubio non alia Harmonia exorietur, quam contrapunctus extemporaneus, ut vocant, sive Harmonia, quæ posset dici *αὐτοχρηδισίμη*, quando videlicet, qui graviores sonum proferre possunt, choralem cantum simpliciter canunt. Reliqui vero, qui voce acutiores sunt, consonantias, octavas, quintas & quartas, pro libitu, non præmeditati addunt, quod apud concentores aulicos quosdam in capellis, ut vocant, & in quibusdam cœnobijs apud Pontificios hodie in usu est. Quanquam hi de quibus Pontifex loquitur, fortassis ex præscripto, ut minus exercitati consonantias miscerent. Qui post floruerunt Musici, usque ad cœlestis doctrinæ, unâ cum bonis artibus & linguis, repurgationem, ferè toti fuerunt in eo, ut non tantum diversissima illa signa, & proportionem, quibus & figurarum quantitas innumeris modis variatur, & tactus in diversas partes discerpitur, explicarent. Sed etiam novis figmentis augerent, & scriptis libris inculcarent, & propugnarent. Ut enim quisque ingenio præcellere sibi videbatur, ita novum quid & alijs incognitum, aut inusitatum excogitare, & suis discipulis præcipere voluit. Unde factum, ut cum alij aliorum inventis contradicerent, controversiæ plurimæ in Musicis moverentur, de quibus cum digladiarentur,

tur,

tur, plurima inutilia iuxta ac difficilia Musicis præceptis inserta sunt, quibus & ingenia discipulorum fuerunt conturbata, & impedita, ac verus Musicæ usus neglectus.

Cæterum proportionibus, quibus tactus diversissime formatur, ex falsa persuasione in Musicam irrepsisse videntur. Nam cum sciunt illius ætatis Musici, hanc artem & Mathematica & quidem ad eam partem pertinere, qua res non simpliciter considerantur, sed quatenus ad alias habent respectum, id autem absq; proportionibus fieri non possit: falso proportionum doctrinam, quibus sonos formare, comparare, distinguere, ac dijudicare debebant, ad tactus applicationem transtulerunt. Franchius Musicus, qui tantum necessaria, & ad Musicam pertinentia se traditurum pollicetur, species ex omnium proportionum generibus selectas, & in tactu mensurando usurpatas, recenset septuaginta novem. Cum alij plures tradant. Ex quibus proculdubio, tanta in applicatione tactus diversitas, obscuritas, difficultas & partium tactus dilaceratio orta, tradita & inculcata fuit, ut posteritas vix creditura videatur.

Ex illo autem tempore, quo bonæ artes, unà cum doctrina cœlesti repurgari & purius tradi cœperunt, excitata sunt multa ingenia,

quæ non tantum senticeta hæc ex agro Musico evulserunt, & extirparunt: sed etiam consonantias legitimis progressionibus per fugas, ut vocant, & elegantes clausulas, in suavissimam Harmoniam deducere potuerunt. Inter quos excellit in primis Iodocus à Pratis, vulgo Iosquinus, hoc est, Iodocus de Pres, Belgæ. Item Clemens non Papa, & alij. Quibus tamen omnibus deesse videtur, quod cum elegantem Harmoniam condere potuerint, à Melodia tamen rectè instituenda, quæ fit, si & sententiæ & verba alicuius dicti, aptè ad Harmoniam quadrent, & significanter ac rotundè exprimantur, longius abfuerint, quam rationem postea monstravit & observavit inter primos in Germania, Orlandus di Lassus, & post eum infiniti alij.

Sed hisce omissis, ad notularum inventionem progrediamur, quæ per se nec magno-
perè ingeniosa nec difficilis fuit: Sed tamen priusquam de certa forma harum figurarum omnes, in illa ἀναρχία Musicorum, vbi οὐδέ τις οὐδέ εἷς οὐδέ εὖς ἦκε, consentiret, serò recepta. Franchini enim seculo, vt ex ejus libellis apparet, nondum omnes consenserant, quibus modis scribenda Longa, Maxima, Minima item & seminima, ut de fufis & semifufis taceam: cum tamen diverfa in notulis quantitas, dudū observata & usurpata fuisset. Bre-

Brevem igitur notulam omnium primam constituerunt, propterea, quod in mensurandis syllabis, brevis omnium prima occurrat, eam forma quadrata pinxerunt, & matrē, originemq; omnium notularum appellarunt. Longam vero, quæ duas breves contineret, cum duplicata magnitudine scribendam censerent, ne ea cum Maxima, quæ post Longam constituenda esset, confunderetur, verebantur: ideo apposita cauda, quæ bis notulæ Brevis corpusculum longitudine excederet, eam efformandam putaverunt. Maximam duplicata quantitate scripserunt, quanquam in Longæ & Maximæ notulæ efformatione, præter cætera, controversum fuit, quod tactibus quælibet esset mensuranda, ideo initio Maximam ita pingebant, ut tot corpori eius virgulas, quæ tanquam pectines dependebant, appingerent, quot Brevibus eam mensurandam vellent. Similiter longæ caudam eo usq; producebant, ut vel ter, vel quater Brevis notulæ corpusculum excederet, si tot Brevibus eam metiri constituisent. Verum cum deformis esset scribendi ratio, & magnam ambiguitatem pareret, tandem consensus est, ut quemadmodum hodie scribuntur, pingerentur, & in dupla proportionem sese sequerentur. Et si ad quantitatem earum aliquid addendum esset, ut id fieret vel

apposi-

appositis quibusdam signis, vel etiam puncto,
 quod dimidia parte, unamquamque notulam,
 cui ascriberetur, auget. Semibreuem ex
 Breui, in duas æquales partes obliquè dissecta,
 fecerunt, ita ut forma esset triangulari. Sed
 hodie scribitur quadrato oblongo. Minimæ
 verò notulæ virgulam sive caudam ascripse-
 runt directè, vel supernè incubentem, vel in-
 fernè dependentem, qua semibreuem in duas
 partes divisam, sive dimidiatam significarunt.
 Semiminimam denigrarunt. Fusas ut scribe-
 rent, quarum duæ semiminimam perficerent,
 apposuerunt caudæ binarium numerum, qui
 postea ad caudam in unicum coaluit. In semi-
 fusis verò binarium duplicaverunt. Plurimæ
 porro agitatae fuerunt controversiæ de nomi-
 nibus, valore ac forma omnium figurarum,
 quas recensere longum esset, nec operæ pre-
 cium, cum tales sint, quæ nec scienti profint,
 nec nescienti obsint. Si quem iuvat eas cogno-
 scere, videat inter alios Franchini librum se-
 cundum Musicæ practicæ. Unicum hoc vide-
 tur addendum, quod veteres Fusas & Semifu-
 sas, quemadmodum & hodie multi alij, appel-
 lent Chromata, hoc est colores, unde procul
 dubio Germanica phrasis Coloriren, hoc est,
 sonos in notulis maioribus descriptos, per Fu-
 sas & Semifusas discerpere, & motu vocis ve-
 lociori

lociori ac hinc inde vagabundo exprimere, originem traxit.

Hæc sunt, quæ de origine & progressu rerum Musicarum, ab initio mundi, ad nostra usq; tempora, annotare placuit, ex quibus omnibus apparet, ex quam parvis initijs Musica cœperit, quibus incrementis aucta fuerit, & quanto labore ad id fastigium pervenerit: ut ulterius ascendere non posse videatur. Nec enim plura intervalla, nec plures consonantiæ, vel Modi, in quibus soni deducantur excogitari poterunt. Tantum restat, ut quod nobis veterum labore & industria in hac arte partû est, grato animo accipiamus, rectè colloce- mus, diligenter excolamus, & ad Dei optimi Maximi laudem, Ecclesiæq; decus, in quoti- dianis exercitijs piæ institutionis, invocatio- nis, & gratiarum actionis, utamur. Ipsiq; æ- terno Deo gratias agamus, quod hoc ultimo mundi articulo, inter alias liberales artes, hanc etiam ad summam perfectionem deducere, & quasi προάυλιον prælusionem, sive ut vulgo loquimur, præambulum fieri voluit, perfectis- simæ illius Musicæ in vita cœlesti, ab univer- so triumphantis Ecclesiæ & beatorum Ange- lorum choro, propediem inchoandæ, & per omnem æternitatem con- tinuandæ.

F I N I S,



L I P S I A E

FRANCISCVS SCHNELBOLTZ

EXCVDEBAT.

Typis haredum Beyeri.


Anno

M. DC.





Ἰσοκ. ad Dem.
πῶς ἐνὶ συμφορᾷ ὀρεδίωνος, ἀπὸ τῆς
ἡ^ς τύχης, καὶ τὸ μέλλον ἀόρατον.



Ἰσορ. ad Dem.

Ὡς ἀπόντων φίλων μέριμνα πρὸς
τοὺς παρόντας, ἵνα δοκῆς μηδὲ τῶν
των ἀπόντων ὀλιγαρχίᾳ.

66767

B. fa. H mi.
A. E. la, mi.
G. D. sol, re.
F. C. fa, ut.

Vel:

H. mi. Non vero B. fitum, id est b. fa.
A. E. la, mi.
G. D. sol, re.
F. C. fa, ut.

~~GA~~ AB 66 767

ULB Halle


3

003 137 805



VD 77





Exercitationes Musicae
Duæ.

QV ARVM
PRIOR EST, DE
MODIS MUSICIS, QVOS
vulgò Tonos vocant, rectè co-
gnoscendis, & dijudi-
candis.

POSTERIOR, de INITIO
ET PROGRESSV MUSICES,
alijsq; rebus eo spectantibus.

Institutæ

à

SETHO CALVISIO,
*Ludi Senatorij Lipsiensis ad D. Tho-
mam Cantore.*



LIPSIÆ, Impensis Jacobi Apelij.
Anno 1600.

62

